SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE DE TRIBUS MAJORIANI...

Jacobus : van Hengel

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,

DE

TRIBUS MAJORIANI NOVELLIS.

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,

DE

TRIBUS MAJORIANI NOVELLIS.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI NIEUWENHUIS,

A. A. L. L. MAG. PHIL. DOCT., IN FACULTATE PHIL. THEOR. ET LIT. HUM. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS VAN HENGEL,

DORDRACENO-HOLLANDUS.

AD DIEM XX FEBRUARII MDCCCXXXIII. HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

Lugduni Batavorum,

APUD C. C. VAN DER HOEK,

MDCCCXXXIII.

PATRI OPTIMO

CARISSIMO

SACRUM.

PRAEFATIO.

Cum Specimen Historico-Literarium de Majoriano *scripseram, Novellas hujus Imperatoris aggrediebar ad perpetuam earum interpretationem pro viribus elaborandam: sed quo majorem his legibus sedulitatem adhibebam, eo firmius mihi persuasum erat, unam alteramque iis incesse, quae temporis injuria tot tantisque scatterat vitiis, ut juvenili certe ingenio in integrum restitui non posset. Tum vero, gliscente verborum rerumque, de quibus notandum erat, multitudine, disputationi modum ponendum esse vidi, ne in molem excresceret. Tres igitur tantum* Majoriani *Novellas, secundum editionem Cl.* Hugonis *hic etiam descriptam, interpretari constitui. Quod si benevoli judicaverint Lectores, mihi haud omnino male successisse, valde laetabor. Ceterum quae speci-*

cimini Historico-Literario praefatus sum, nunc repetere nihil attinet. Vobis tamen V. V. C. C. quos praeceptores Jurisprudentiae habui, pro egregria vestra institutione gratias agendae sunt: tibi inprimis, Cl. Van Assen! *qui ut studia mea fovisti, ita ad disputationem scribendam opem mihi praeclaram attulisti. Et tibi, Pater Carissime! cui quanta praeter vitam debeam, dicere non possum, grati animi testificationem, quam publice exhiberem, huic loco reservavi: atque hanc, quamvis impar est beneficiis mihi a te allatis, ex pietatis tamen sensibus profectam esse credas et confidas!*

NOVELLA

DE ORTU IMPERII SUI.

IMP. MAJORIANUS A. AD SENATUM.

Imperatorem me factum, P. C. vestrae electionis arbitrio et fortissimi exercitus ordinatione agnoscite. Adsit ordinationi omnium propitia divinitas, quae regni nostri augeat pro vestra utilitate et publica successus, qui ad sustinendi principatus apicem non voluntate mea, sed obsequio publicae devotionis accessi, ne aut mihi soli viverem, aut ingratus reipublicae, cui natus sum, sub hac recusatione judicarer. Dicatis quoque Jano Kalendis suscepti feliciter consulatus ereximus fasces, ut praesens annus, nascentis Imperii nostri incrementa suscipiens, nostro etiam nomine signaretur. Favete nunc princi-

A pi,

pi, quem fecistis, et tractandarum rerum curam participate nobiscum, ut imperium, quod mihi vobis annitentibus datum est, studiis communibus augeatur. Praesumite justitiam nostris vigere temporibus, et sub innocentiae merito proficere posse virtutes. Nemo delationes metuat, quas et privati in aliorum moribus condemnavimus, et nunc specialiter persequimur. Nullus calumnias reformidet, nisi quas ipse commoverit. Erit apud nos cum patre patricioque nostro **Ricimere** rei militaris pervigil cura Romani orbis statum, quem communibus excubiis et ab externo hoste, et a domestica clade liberavimus, propitia divinitate servemus. Puto institutionis nostri vobis inesse notitiam, quam mihi amore vestrûm, vitae et periculorum quondam socius, indubitanter exspondeo: enitar tamen rebus communibus, si superna concesserint, auctoritate principis et obsequio collegae, ut vestrum in me vobis non possit displicere judicium. *Et manu divina: Optamus vos felicissimos et florentissimos per multos annos. Bene valete, sanctissimi ordinis Patres conscripti. Dat. Id. Jan. Rav. Majoriano A. I. Cos.* (458)

De ortu Imperii sui. Prima fronte haec verba significare videntur, Majorianum hanc

No-

Novellam edidisse statim, postquam ad Imperium venisset. Sed certum est, eum Calendis Aprilis anni CCCCLVII Imperatorem salutatum esse. *Cf. Spec. Hist.-Lit.* de Majoriano p. 15. Nonnullis in libris legitur *de ritu Imperii*, sive errore librariorum, seu quod illi putarunt, verba descripta minus convenire tempori, quo *Novella* in vulgus exiit. Et mirum sane est, Majorianum novem demum menses, postquam rerum potitus esset, se hac scriptione ad senatum convertisse. Sed credimus, eum, suscepto Consulatu, *Novellam* edere voluisse, qua simul suum Reipublicae administrandae propositum declararet. In mentem venire posset *orsus*, nisi hoc apud poetas tantum legeretur. Nec mutatione opus est, quia *ortus* apud scriptores bonos de principio haud raro dicitur, uti apud Ciceronem de legib. lib. I. cap. 6. *juris ortus* et *juris exordium* permutantur. Titulum autem vulgo editum de *ortu Imperii Divi Majoriani* recte Cl. Hugo ex Mss. Ott. correxit, quippe manus alienae vestigia aperta prodentem. Inscriptiones legum saepe vitiosas esse post alios monuerunt Schultingius in *notis ad Digesta.* Tom. I. p. 6. ibique Cl. Smallenburg.

Imperatorem — agnoscite. Satis fuisset scribere *vestra electione*; sed auctor voce *arbitrium* utitur ad senatus potestatem significandam. Hinc autem distinguit militum *ordinationem*, id est *dispositionem*, ut recte interpretatur Facciolatus in *Lexico* h. v. Dicit igitur, se Imperatorem creatum esse a senatu, et comprobatum hoc nomine a militibus. Causa autem hujus exordii in eo cernitur, quod multi Imperatorum, qui hunc praecesserant, militum arbitrio summam debuerunt dignitatem; quorum insolentiae senatus saepe assensione sua invitus cedere coactus est. Hinc intelligimus, quantopere Majorianus sibi omnium favorem conciliare studuerit.

Adsit — judicarer. Nonnulla huic loco insunt, quae illustratione indigeant. Pronomen *qui* refertur ad nomen, quod voci *nostri* inest, uti saepissime faciunt Latini. Cf Perizonius ad Sancti *Minervam* p. 320. Deinde locutio *publicae devotionis* brevitate sua ambiguitatem habet, sed sic explicanda est: *obtemperans omnium hominum ordinibus, qui mihi devoti sunt.* Sic *devotio publica* lib. I. *Cod. Theod.* Tit 2. l. 7. lib. XI. Tit. 1. l. 20. et alibi *pietatem erga principem* denotat. Latini vero scri-

scriptores hanc vocis notionem ignorant. Cf. Dukerus *Opusc. Var. de Latinit Juriscons. Veter.* pag. 362, 363. Nec minus significatio, quae hic *divinitati* tribuitur ab eorum scriptione discedit. Nam quamvis apud Asconium in *Divin. Verr.* c. 13 legitur: *tantum mihi divinitas faveat, quantum verum est illud, quod dico;* scriptores tamen boni et probati hac voce non utuntur de *Deo* ipso, sed de *rebus divinis*. Cff. loca excitata apud Facciolatum in voce *divinitas*. Et oratio quidem Majoriani elegantiae latinae colore non omnino caret, sed adeo tamen scriptionem ejus afficerunt aetatis suae sordes et maculae, ut in hoc qualicunque specimine negligentiae culpam mihi contracturus essem, nisi saepe scribendi vitia verbo attingerem. Cf. Eckhard *Hermeneutica Juris Ed.* Walch. lib. I. cap. 3. §. 115.

Dicatis — augeatur. Nihil hic obscurum est nisi *nascentis — suscipiens*. Sed Imperium suum *nascens* dixisse videtur, quod haud ita pridem initium ceperat: *incrementa* autem ei tribuit propter accessionem consulatus. Mentem auctoris sic explicamus: *ut praesens annus, sicuti dignitatis habet amplitudinem, qua im-*

Imperii a nobis suscepti vires augeantur, sic etiam etc.

Praesumite — virtutes. Ab hoc loco inde Majorianus exponere incipit rationem, qua in republica gubernanda usurus est Dicit autem hac sententia: *Hoc ante omnia scite, me factum, ut me Imperatore justitia vigeat, et virtutes proficere possint eo, quod innocentiae meritum suum tribuatur.* Verbum enim *praesumendi*, quod proprie significat *ante tempus* vel *suo arbitrio sumere*, uti *Cod Theod.* lib. VII Tit 8. L. 4 deinde usurpatur de *scientia rei alicujus, argumentis vel experientia nondum probatae.* Ita apud Tacitum lib XII. Annal. cap. 41: *Spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriusque praesumeret*: id est *sciret antequam rei documenta adessent.* Atque illa notio praepositionis *prae* iis etiam in locis, ubi Facciolatus et Brissonius *de verb. signif.* h. v. verbum de *opinande* explicant, prorsus excludi nequit. Brevitas autem dicendi, quae in formula *sub innocentiae merito* cernitur, vereor, ut veterum scriptorum auctoritate probari possit.

Nemo — commoverit. Haec duo sententiam praecedentem aptissime sequuntur: nam nihil

illo-

magis et justitiam laedit, et innocentiam opprimit quam delationum et calumniarum multia. *Delationes* sunt tectae et obscurae accusationes criminis, in principem cum maxime commissi vel intentati. Adjunguntur iis *calumniae*, quoniam delatores non vera tantum prodiderunt, sed falsissimos quoque rumores sparserunt, ut viris nullius mali sibi consciis nocerent, eosque perderent. Erat hominum genus, quod *Romae* et per Provincias, saluti vitaeque civium insidias struebat, non adeo, ut injurias sibi illatas ulciscerentur, sed ut gratiam principum et magistratuum inirent, turpissimumque sibi lucrum facerent. Quo lucri amore saepe etiam impellebantur ad causam eorum, qui se revera sceleribus et flagitiis polluerant, publice defendendam. Augusti tempore jam frequentes erant, sed numero et audacia valde augebantur, regnante Tiberio, sub quo nemini eorum fidem abrogatam esse narrat Suetonius in Tib. cap 61. Et hunc Imperatorem iis bonorum ejus, quem accusassent, partem dedisse, Tacitus solus auctor est *Annal.* lib. IV. cap. 30. Cum autem non aliter fieri posset, quin pessimus quisque successorum ejus delatores, quam studiosissime foveret, mirandum non est, eos apud Cajum, Neronem, Domitianum

num multum valuisse, et licentiam sibi ademtam sub Commodo recuperasse: quod valde queritur Gibbon *the history of the decline and fall of the Roman Empire.* Vol. I. p. 121, 122. *Ed.* Lips. Sub Macrino *quadruplatorum* nomen acquisiverunt, quod quarta iis cedebat pars bonorum, quae homines delati habuerant: uti tradit Julius Capitolinus in vita ejus. Sed ut Nerva aliique principes melioris notae se huic pesti civitatis vehementer opposuerant, ita Imperatorum Christianorum haud pauci eam radicitus exstirpare conati sunt. Severa in *delatores* fuit haec Constantini *magni* lex: » Comprimatur unum maximum » humanae vitae malum, delatorum exsecranda » pernicies, et inter primos conatus in ipsis » faucibus strangu·letur, et amputata radici» tus invidiae lingua vellatur, ita ut judices » nec calumniam nec vocem prorsus deferen» tis admittant: sed qui delator exstiterit, » capitali sententiae subjugetur." Leges in *Cod. Theod.* lib. X. Tit. 10. exstant. Nec tamen illi, nec Imperatoribus vestigia ejus prementibus Rempublicam ab iis omnino liberare contigit. Unde factum est, ut Majorianus legibus antea editis vim suam et efficacitatem restitueret

deberet. Legatur praeter alios Rosinus *Antiquit. Roman.* Lib. IX. p. 937, 938.

Erit — cura. Fortasse quis mirabitur Majorianum, virum probrum et honestum, Ricimerem appellasse *patrem*. Sed voluisse videtur usus, ut sic appellaretur Patricius. Valentinianus III. in Novella de *Indulgentiis reliquorum* Aëtium similiter dixit *parentem*; unde tamen non sequitur, hic quoque cum *Ottob.* pro *patre* substituendum esse *parente*. At vero loco illo confirmatur scriptio *pervigil*, quam vulgatae *pervigili* jam praetulit Ritterus. Locum describere haud supervacaneum est. Sic igitur se habet: » Utrum, mitti debeat inspe- » ctor publicus, tractatus ante deliberet subli- » mis viri Parentis Patriciique nostri, nec non » magnificus vir praefectus Praetorio, qui com- » munionis utilitatem virtutum suarum magni- » tudine nobiscum pervigiles et cogitant et tuentur." Hanc autem correctionem sibi omnino postulat oratio, quippe quae censu caret, nisi rei *militaris pervigil cura* arcte connectuntur. Verbum *erit* prorsus necessarium non est sed recte tamen illud Cl. Hugo ex *Ottob.* recepisse videtur.

Romani — servemus. *Orbis Romani* appellatio in legibus Imperatorum et alibi *Imperium*

 de-

denotat *Romanum* Cff. Grotius *de Jure Belli et Pacis* lib. II. cap. 22. §. 13 Schultingius et Smallenburg l. c. tom. I. pag. 125, 126 ubi pro vulgata editione lib. I. Tit 5. leg. 17. *Digest. in urbe Roma* recte substituitur *in orbe Romano.* Alibi Imperatores scripserunt *orbis noster*, quod legitur etiam in Novella Majoriani de *adulteriis*, secundum. edit Cl. Hugonis; dum vulgata editio habet *urbis.* Cf. van Bynkershoek Opera *minora* pag. 306. Formulam *orbis Romani* quoque de altera Imperii parte, Orientali sive Occidentali, usurpari contendit Gothof. ad lib XVI. *Cod. Theod.* Tit. 1. l. 2. Sed hoc certe loco utramque esse comprehendi, ex seqentibus, nisi fallor, apparet. Plura dabunt Brisson h. v. et du Cange *Glossarium ad script. med. et inf. Latin.* Tom. IV. pag. 1371. Ceterum verba satis sunt perspicua, nec res in tenebris cubat. Nam *externo hoste*, a quo Majorianus se imperium liberasse ait, significantur *Vandali*; *domestica* vero *clade* jurgia et certamina, quae antecessor ejus Avitus cum senatu habuit populoque Romano. Cf. Ritter ad h. l.

Puto — judicium. Ad explicandum hunc locum difficiliorem, necesse erit incipere ab *Apodosi*, ubi, correctione *omnibus* rejecta, Cl. Hu-

go

go recte servavit *communibus*, quod sensus requirere videtur A Latinorum usu aliena sunt verbum *enitar* cum ablativo vel dativo pro *operam dabo*, et nomen *superna* pro *Deo* Minime vero reprehendenda est vox *obsequii*, quam Veteres tam in bonam, quam in malam partem convertisse constat. Cff. *Epistolae Sodal Socrat. Philomath Ed.* Cl. Mahnio pag XXXII sqq. 231, 232. Ceterum Apodosis per se nulla obscuritate laborat. Majorianum dicere voluisse putaverim: *Mea tamen ipsius auctoritate et* ope Leonis *Imperatoris Orientis Rempublicam, si Deo placet, ita administrabo, ut vos poenitere nequeat judicii, quo me rebus summis praefecistis.* Haec autem verba ita comparata sunt, ut satis perspicue indicent, *Protasin* talem esse debere, ut opposita contineat eaque minus grata et accepta lectoribus. Quare, si fides est editioni Cl. Hugonis, quam descripsimus supra, Imperator declarare videtur: *Senatoribus nunc, se judice, satis patere rationem, qua, ut prosit iis, quibuscum eandem antea vitam in senatu egit, eademque pericula subiit, Rempublicam administrare sibi proposuerit; etiamsi forte severior morum censor castigatorque habeatur.* Et vix dubitari potest, quin vulgo editum et orationi sequenti minus

2* con-

consentaneum *peto* librorum auctoritate recte mutatum sit in *puto*, quod jam probavit Ritterus. Sed vereor equidem, ut stare possit *institutionis nostri*. Nec correctionem *Ottob. instituti vestri* probare possum, quippe a vulgari scriptione longius recedentem. Scribendum igitur esse conjeci *instituti omnis nostri*, ut litera *m* omissa duae voces in unam coaluerint. At vero pronomen *quam* multum creat molestiae: nam si refertur ad nomen proxime praecedens *notitiam*, quod orationis forma suadet, dubium est, quid Majorianus in mente habuerit, et ad nomen tamen remotius propter generis diversitatem referri nequit, sive legimus *instituti omnis nostri*, seu *institutionis nostri*, ubi genitivus non *personalis*, sed *possessivi* Pronominis reperitur. Felicioribus ingeniis rem dirimendam relinquo. Monendum tantum est, Adverbium *indubitanter*, quod pro *sine scrupulo* positum esse videtur, in bonorum scriptorum libris non legi; atque ejusdem notae esse verbum *expondeo*, quod recentiores homines pro simplici *spondeo* usos esse ostendit Du Cange Tom III. pag. 271. In Facciolati autem et aliorum Lexicis illud plane desideratur. *Et manu — conscripti.* Alibi in Infinitivo legimus *per multos annos bene valere*, in *Novella* nem-

nempe Valentiniani III ad finem. Quod ipsum num recte Cl. Hugo hic quoque reponendum conjecerit, asseverare non ausim. Formula autem, quae voto suavissimo praefigitur, significat, cetera quidem a ministro quodam, haec vero postrema ab ipso scripta esse Imperatore. Cf. Du Cange l. c. Tom. IV. pag. 477. *Manus* autem *divina* vocatur, nondum exstincto more veterum, qui principes suos Deorum nomine salutabant, iisque omnia divina tribuebant. Qua de re infra nonnihil dicemus.

NO.

NOVELLA
DE DEFENSORIBUS CIVITATUM.

Impp. Leo *et* Majerianus *AA. universis rectoribus Provinciarum.*

De civitatum per omnes provincias positarum caritate cogitantes, quibus, fugientibus incolis, defensorum auxilio destitutis, qui unumquemque civium ab improbitatibus insolentum antiquae ordinationis studio vindicare consueverat, solitudo nostris ordinationibus submovenda possidendi, priscae consuetudinis morem revocandum esse censuimus, ut probis moribus, honestate, providentia viri judicio universitatis electi, auctoritatem tuendae in civitatibus suis plebis accipiant, et, quaecunque utilitatem publicam respiciunt, concessae per leges privilegio dignitatis vel exsequendi, vel insinuandi auribus mansuetudinis nostrae habeant potestatem. Hoc enim modo fieri potest, ut, repres-

sis per eos insolentiae vitiis quoque, qui accidentis in provinciarum nostrarum parte tractatum intenti curis majoribus ignoramus, eorum ad amendandum suggestionibus instruamur, et, qui per injuriam compulsorum rurales habitationes et solitudines expetunt, sub defensorum tuitione degentes publicis se urbium conspectibus, repetiti domicilii habitatione, restituant. Quapropter praeceptionis nostrae tenore percepto, universarum civitatum, quae sunt, inhabitantium frequentia celebres, in tuae potestatis arbitrio constitutae, municipes, honoratos, plebemque commoneat, ut adhibito tractatu atque consilio sibi eligant defensorem, factumque denuntient, ut sub hac solennitate desideria urbium singularum ad nostram mansuetudinem dirigant, (quia ipsos provinciales propter expensas, vel itineris laborem ad comitatum venire non patimur) ut compertis eorum moribus atque personis, quos praeter ambitum dignos tali ministerio et honore judicemus, idoneos defensores confirmatio constituat. *Dat. VIII Id. Mart.* Rav. D. N. Leone et Majoriano *AA. Coss.* (458)

De defensoribus civitatum. Defensores antiquissime a *Romanis* dicti sunt homines, qui, cau-

caesa alicujus suscepta criminationes accusatoris diluebant, et propulsabant, ut ait auctor *Rhetoricorum ad Herenn.* lib. IV. cap. 35. Quomodocunque autem haec discedunt, quae in libris legibusque sequentium temporum de hujus nominis usu reperiuntur; satis constat, ante Valentiniani I aetatem illud nullo modo datum esse viris certo defendendi muneri praefectis. Cf. Gothofred. ad lib. I. *Cod. Theod.* Tit. 11.

. Creati sunt defensores, ut rusticos potissimum et pauperes contra Proconsulem aliorumque hominum potentium avaritiam fraudesque et injurias tuerentur. Cf. Roth *de re municipali Romanorum* p. 102, 103. Nunc *civitatum*, nunc *plebis*, nunc *loci* defensores dicuntur: quibus tamen vocabulis incautus facile alienam notionem tribuerit. Nam *plebe* hic non opponitur *populo*, ut apud Cicer. *Orat. pro* Muraena cap. 1. ubi ait: *ut ea res mihi Magistratuique meo, populo plebique Romanae bene atque feliciter eveniret:* sed ipsum indicat *populum*; Patriciis et Magistratibus exclusis. Cff. loca laudata e Facciolato h. v. Neque confundendi sunt cum τοποτηρηταῖς, quos Praefecti Praetorio, Comitesve vel Praesides miserunt, juris dicundi causa. Cf. Cujacius *Observ. lib. III.* c. 14.

c. 14. quocum tamen dubitare non ausim, sit eos hoc nomine memoraverit **Justinianus** in Nov. περὶ τῶν τοποτηρητῶν et in Nov. περὶ τῆς δημοσίων ἀνοπτυς. Sed bene tenendum est, defensores illos honoribus juribusque adeo accrevisse, ut hujus Imperatoris tempore prorsus differrent ab iis, qui sub **Majoriano** defendendi populi munus peregissent. Facti igitur sunt tributorum exactores, Curiarum praesides, summi adeo magistratus et judices, quorum jussis et decretis civitates cedere deberent. Cff. **Roth** l. c. p. 103 sqq. et **Savigny**, *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter Tom. I. p.* 63 *sqq.* qui duos **Rothii** errores correxit docendo, defensores ante **Justiniani** tempora neque ex decurionibus sumtos esse, neque alius in civitatibus, quam quae Magistratibus carerent, eorum vicem sustinuisse.

De civitatum — potestatem. Haec sententia haud sine causa virorum doctorum ingenia valde exercuit. Neque is ego sum, qui omnem tollere possim difficultatem. Protasis excurrere videtur usque ad gerundium *possidendi*; quod si hinc expellere liceret, oratio multo redderetur facilior. Sed alienus a conjectura, quae nullam probabilitatem habet, vocem trajicere malo, quasi legatur *nostris ordinationibus possi-*

 den-

dendi submovenda. Jam illud respicere potest ad ea, quae sibi Imperator, cum hanc Novellam scribebat, de agrorum possessione constituere proposuerat, nisi fortasse significantur leges ab illo hac de re scriptae, sed quarum memoria ad nostram aetatem non penetraverit. Minus haereo in verbis hisce cum cetera oratione copulandis: siquidem jungenda videntur: *quibus solitudo nostris ordinationibus possidendi submovenda*, scilicet est. Sensum esse opinor. *quibus civitatibus per leges nostras de agrorum possessione ita succurrendum est, ut solitudo vel incolarum raritas amoveatur.* Haud spreverim vero, quod suspicatus est Cl. Hugo, pro *solitudo* legendum esse *sollicitudo*: at si hoc probatur, Gerundium *possidendi* suo loco retinere et verba *nostris ordinationibus submovenda* commatibus ab eo, quod praecedit et sequitur, distinguere oportet, ut, his duobus *sollicitudo possidendi* arcte connexis, Majorianus dicat: *quibus civitatibus de possessionibus injecta est sollicitudo, quae legibus nostris amoveri debet*. Et sane, quo intentius hunc locum intueor, eo magis mihi lenis haec arridet mutatio, qua et plurale *ordinationibus* aeque ac praecedens singulare *ordinationis* per se stare et utrumque eodem modo explicari

pos-

possit. Deinde mihi persuasum est, pluralo *consueverant*, quod V. C. rescribere non ausus est, substituendum esse pro singulari *consueverat*: nam quid hac in sententia, quaeso, est, quorsum singulare referatur? Sed vehementer vereor, ut pro vulgari *raritate* ex *Ott.* recte ediderit *caritate*, quae vox satis incommoda est post praecedentia: *per omnes provincias positarum.* In orationem magis quadrat correctio Ritteri *vastitate*: sed longius ea recedit a scriptione vulgari. Equidem fallor, aut nulla emendatione opus est. *Raritas* enim *civitatum* non significat *civitates paucas esse*, quod Ritterus ait Majorianum in mente habere non potuisse: sed eas *incolarum multitudine carere.* *Raritatis* nomen apud Latinos usurpatur de rebus laxis, nec corporis solidi instar bene compactis, ut conveniat voci vernaculae *ylheid* vel etiam *doorzigtigheid.* Sic Cicero de *natura Deorum*, lib. II. cap. 55: *In pulmonibus inest raritas quaedam, et assimilis spongiis mollitudo ad hauriendum spiritum aptissima.* Plura dabit Facciolatus b. v. Jam hanc *raritatem civitatum* Imperator haud exiguam partem *Defensorum* culpae adscribit: nec temere. Nam inter praecipuas causas, cur urbes illo tempore a

civibus relinquerentur, horum hominum exstitit perversitas: quippe qui, muneri suo praefecti, ut populum adversus injurias tuerentur, aut negligentia sua eos, qui aliis vim inferebant, tulerunt, aut ipsi malitiae societatem cum iis inierunt. *Antiqua* autem *ordinatione* non unam, quod vult Ritterus, legem significat Theodosii lib. I. *Cod.* Tit. 11. l. 2, sed ceteras quoque ejusdem tituli, ut apparet ex verbis infra scriptis *per leges*, pro quibus V. C. satis leviter substituendum esse censuit *per legem*.

De Apodosi *priscae — potestatem*, quae et ipsa difficultatibus suis laborat, breviores esse non poterimus. Rectissime Cl Hugo cum Rittero pro vulgari *privilegia*, quod hac in oratione ferri prorsus nequit, edidit *privilegio*, id est, quasi priva lege, in certae personae vel causae gratiam et favorem constituta ut vocem explicat Brissonius h. v. Jam *privilegio dignitatis concessae per leges* denotatur, si bene video, potestas vel auctoritas, defensoribus civitatum, quorum instituto debebatur populo, per leges Imperatorum iis faventes tributa. Ritterus quidem, verba sic scribens: *concessa per legem privilegio dignitatis*, mutationem suam speciuso hoc argumento fulcire conatur: defen-

sores ante Majoriani aetatem potestatem ad Principem referendi non habuisse, ut intelligi ait ex lege VII Honorii *Cod. Just. de defens. Civit.* Et consentiunt hactenus cum eo Gothofredus aliique. Quid vero illa lex continet? Facultatem praebet defensoribus Praefectos Praetorii, Magistros equitum et peditum etc. adeundi. Scripta igitur multo magis est ad vim horum hominum amplificandam quam extenuandam. Quidni fieri potuit, ut postea unus alterve Imperator, eodem tramite procedens, facultatem iis tribueret ad principem referendi atque hac de re legem sciseeret, temporis injuria nobis ereptam? De eo certe, pace virorum doctissimorum, mihi persuasum est, hac in Novella, verba *et quaecunque — habeant potestatem*, neque ac praecedentia *probis moribus — accipiant* renovationem ejus, quod in desuetudinem abiisset, spectare: cum utraque per conjunctionem *ut* a principio Apodoseos *priscae consuetudinis morem revocandum esse censuimus* pendeant. In hac autem locutione duae distinguuntur voces, quas veteres haud raro inter se permutarunt. Sic etiam in *Cod. Theod.* lib. XII. Tit. 1. l. 166. Honorius, *veterum more* memorato deinceps adscripsit *antiquam igitur consuetudinem.* Lib. XVI. Tit. 10. l. 1. di-

dictioni *retento more veteris observantiae*, paucis interjectis, additur *ceteris usurpandae hujus consuetudinis licentia tribuenda.* Asseverare tamen non ausim, horum aliorumque locorum auctores utrique voci eandem plane notionem dedisse. Et omnino monendum est, *morem* et *consuetudinem* non esse synonyma, sed inter se ita differre, ut antecedens et consequens. Alterum nempe est *institutum patrum*, alterum *hujus instituti usus:* quemadmodum, ducibus Varrone et Festo, ea explicuit Macrob. *Saturn.* lib. III. c. 8. quod probasse videtur Servius ad *Aeneid.* lib. VII. vs 601. Varronis laudans admonitionem, *morem inveteratum consuetudinem facere.* Atque hanc distinctionem Ciceroni in mente fuisse puto, cum *Off.* lib. I. cap. 41. deinceps scriberet *contra morem consuetudinemque civilem.* Cff. Brissonius et Facciolatus hh. vv. Majorianus igitur revocandum esse monet institutum, quod longo usu receptum erat. Jam illud agens, nulli alii auctoritatem populi in civitatibus tuendi dare jubet, quam viris morum probitate, honestate et providentia, id est prudentia, conspicuis et omnium ordinum suffragio defensoris muneri praefectis. Quo se opposuit hominibus, qui artibus fraudibusque sibi munus

il-

illud anquirebant votique compotes fiebant, quamvis imperitia sua aut vitae turpitudine hoc honore indigni erant. Si autem Imperator tempore Ciceronis vixisset, eum non scripturum fuisse arbitror *probis moribus*, *honestate*, *providentia viri:* nec tamen in orationis negligentia probabilem reperio causam, cum Rittershusio et Gothofredo pro *probis* scribendi *provisi*. Magis placeret *probati*, quemadmodum lib. I. *Cod. Theod.* Tit. 11. l. 3. defensores *probatissimi quique* esse jubentur, nisi huic mutationi quodammodo obstaret sequens enunciatio *judicio universitatis electi*. Quod cum supra interpretarer *electi omnium ordinum suffragio*, rationem quoque latinitatis minus habui, quam notionis, quae ab auctore appellationi *universitatis* tributa est. Cf. Paratitlon legum de *defensoribus civitatum*. Dicit igitur universitas fere idem ac τὸ πλῆθος apud Thucydidem et alios. Cf. Grotius de *Jure* B. et P. lib. II. cap. 5. §. 17. Multo longius a Latinorum usu recedit, quod ad finem hujus sententiae legitur, *auribus mansuetudinis nostrae*, quo denotantur *aures Principis*, *quibus animi mansuetudo inesse* dicitur. Sed hoc pertinet ad insolens illud dicendi genus, cujus usus apud *Romanos* increbuit, quo frequentiores eorum Imperatores erant in jactantia regum Orienta-

Im-

lium imitanda. Neque igitur mirandum est, eandem formulam in *Cod. Theod.* lib. IV. Tit. 14. multisque aliis locis, uti et in variis Majoriani Novellis, usurpari. At ipsos tamen Principes hunc mansuetudinis titulum sibi vix arrogaturos fuisse opinor, nisi ab adulatoribus eo condecorati essent, ut Valens ab Eutropio in *Praefatione Breviarii Hist. Rom.* sic incipiente: *Res Romanas, ex voluntate mansuetudinis tuae* etc. Cf. Tenaq. Fab. ad h. l. Verbis autem nostris probandis adjiciatur denique Gerundium *insinuandi*, quod notionem *denunciandi*, hoc in loco ei tribuendam, nusquam habet apud veteres. Cff. Gothofr. ad lib. II. *Cod. Theod.* Tit. 4. l. 1. et Dukerus l. c. pag. 439, 440. Ceterum hoc in altera Apodoseos parte voluisse videtur, ut defensores civitatum potestatem reciperent peragendi, quae salutis communis esse judicarent, vel de iis, quae peragere non poterant, ad Principem referendi.

Hoc — restituant. Facile intelligitur, Majorianum in priore hujus sententiae parte duo dicere, quae praecedentibus bene respondeant: videlicet malitiam civitatibus illatam defensorum potestate reprimi et in notitiam Imperatoris, ut prava corrigantur, pervenire posse. Quibus in posteriore parte adjicit spem suam fore, ut homines, injuriis sibi factis agros et

so-

solitudines quaerere coacti, cum defensorum opem sibi non amplius defuturam esse viderint, in civitates revertantur. Sed quaestio agitur de verbis, quibus Imperator haec enunciaverit. Pro vulgari *accedentia* cl. Hugonem post alios recte substituisse puto *accidentia.* At vel sic tamen haeremus in verbis proxime sequentibus *in provinciarum nostrarum parte tractatum*, uti et in praecedentibus *quoque*, *qui*. Cl. quidem Hugo voci *quoque* praeponendum esse conjecit Pronomen *nos*, quod oculorum errore facile omitti potuit; sed verba *ut*, *repressis per eos insolentiae vitiis*, cum sic explicanda esse videantur: *ut*, *praeterquam quod illi jam reprimunt vitia*, *quae hominum insolentia patrantur*, omnino, nisi fallor, postulant, ut Particula *quoque* arcte cum iis connectatur. Magis arridet conjectura Ritteri, Pronomen *qui* in Conjunctionem *quia* mutandum esse: cum librarios facile in errorem induxerit scribendi ratio antiquis usitata cf. Eckhardi *Hermeneut. Jur.* lib. I. cap. 2. § 48. Alterum vero, quod proposuit vir doctus, pro *tractatum* legi debere *tractuque*, nullo modo probare possum. Nam si vel largiar, minus insolenter agere, qui deinceps scribat *parte tractuque*, nusquam tamen vox *tractus*

4 ali-

aliter dicitur quam *de certa quadam et definita regionis parte*: ut lib. XI. *Cod. Theod.* Tit. 5. l. 3. legimus de *tractu Aegyptiaco.* Fortasse corrigendum est *tractata*, quod haud ita longe ab editione vulgari discedit et orationi egregie convenit. Sumamus igitur ab Imperatore haec esse profecta: *quia accidentia, in provinciarum nostrarum parte tractata, ignoramus;* sensum eorum, ad sermonis latini ingenium magis accommodate, sic enarrare possumus: *quoniam, ea, quae variis in locis provinciarum nostrarum casu facta et tractata sunt, ignoramus*, Nimirum voce *parte* pro *variis adeoque multis locis* usus fuisse videtur Majorianus, ne ignorantiam suam nimis proderet. Ritterus quidem putat, eum hac voce *Imperium Occidentale* significasse, et ad interpretationem suam confirmandam provocat ad l. 158. de *Decurionibus*, ubi legimus: *quadam se lege, quae in Orientis partibus lata est, defendunt. Itaque lege cessante, quam constat meis partibus esse damnosam*, sed ibi plurali *partibus* distinctionis causa adduntur *Orientis* et *meis*: singulare vero, simpliciter positum, nusquam de alterutra Imperii parte dicitur. De voce *accidentia* cff. Facciol. s. v. et Du Cange Tom I. pag. 81. Et alia huic sententiae insunt minus latine dicta.

cta. Plurale *conspectibus* frustra in Lexicis quaesivi, sed occurrit in *Cod. Theod.* lib. VI. Tit. 35. Leg. 8 et alibi et in Majoriani Novella de *Indulgentiis reliquorum* §. 4. reperimus *publicis inhaerere conspectibus*. Porro insolenter loquitur auctor de *repetiti domicilii habitatione*, pro quo veteres scripturi fuissent *domo*, *in quam reversi sunt*, *habitanda*. Nec tamen negaverim, veteres *habitationem de ipsa habitandi actione* sumsisse, quod apparet ex verbis *annuam habitationem Romae*, apud Sueton. in Caesar. cap. 38, ubi Cf. Torrentius Et sic *habitationes in domo* legitur *Digest.* Lib. XXXIII Tit. 2. l. 34. Cf. Voet *Comment. ad Pand.* Tom. I. pag. 494 sqq. Praeterea notandum est, hoc loco et saepissime his in libris *suggestionem* dici, quae olim dicta sit *admonitio* vel *relatio*. Et denique *compulsorum* appellatione, priscis Romanis incognita, significantur homines, qui, tributis suo tempore non solutis, in provincias missi sunt, ut incolas ad ea solvenda compellerent. Quare et *compulsores tributi* vocantur in Novella Majoriani de *Curialibus* §. 14. Cf. Gothofred. ad *Cod. Theod.* Lib. XI. Tit. 1. l. 34.

Quapropter — constituat. Novellam concludere incipiens Majorianus orationem ad singulos

 Pro-

Provinciarum rectores convertit, quibus cura mandata erat, ne compulsores aliique homines incolis damna afferrent. Cf. V. V. D. D. ad lib. I. *Cod. Theod.* Tit. 7. Et *primum* quidem illos id agere iubet, ut in civitatibus maioribus, imperio suo subiectis, defensor populi communi suffragio eligatur. In vocibus autem et dictionibus, quibus utitur, nonnullae sunt, quae explicatione indigeant. *Praeceptionis* igitur *nostrae tenor* minus latine dicitur pro *argumento edicti nostri*, quam notionem vox *Praeceptio* etiam habet lib. XI. *Cod. Theod.* Tit. 1. l. 27. ubi legimus de *media praeceptionis condemnatione*. Cf. ibi Gothof. nec non Brissonius, qui docet, vocem *praeceptum* eodem modo sumtam esse. Leg. van Bynkersh. *Opusc. var. argum.* pag. 196 sqq. In proxime sequentibus *universarum* — *constitutae* et uno alteroque offendimur verbo, et orationis structura. Nam ut *universaram* positum est pro *omnium conjunctim*, haud secus ac supra *universitatis* occurrit pro *omnium ordinum*, ita veterum Romanorum neminem scripturum fuisse opinor *in tuae potestatis arbitrio constitutae*. Intelligitur quidem, Imperatori haec esse mentem *ab eo, quod tibi pro potestate tua placet, pendentes*, ut jam apud Tacit. *Hist.* lib. IV. cap. 6a. le-

legitur *in alicujus arbitrio esse* et Lib. XVI. *Cod. Theod.* Tit. 8. l. 13. Constantino aliisque Imperatoribus tribuitur *divinum arbitrium*, quod Gothofr. interpretatur *Imperialis jussio*, sed vocabula *potestatis arbitrio* nusquam, quantum scio, conjunctum reperiuntur. Orationis autem structura tam ambigua est, ut ne distinguendi notae valeant ad ambiguitatem tollendam. Nec dubitaverim tamen, quin verba *inhabitantium frequentia celebres* accipienda sint aeque ac si per particulam *et* cum sequentibus copulentur. Itaque sermo, nisi fallor institutur de omnibus civitatibus, *quae et incolarum multitudine celebriores sunt*, et voluntati jussisque singuli cujusque Rectoris subjectae. Unde apparet, Majorianum nunc urbium tantum majorum in se suscepisse curam. At vero assentiri non ausim Gothofredo, Paratitl. lib. I. *Cod. Theod.* Tit. 11. hunc eruere volenti, in his solis populi defensores fuisse. Immo ne, nimio Provinciarum rectoribus imponendo onere, laboris fastidium iis crearet, de majoribus tantum urbibus locutus esse videtur, minores silentio praetermittens, quas ad exemplum earum se facile compositurus esse praevidebat. Sequuntur verba haud difficilia, *municipes, honoratos plebem-*

que

quae commoneat, scilicet *potestas tua*, vel *commoneas*, ut Ritterus et Hugo corrigendum censuerant. Tres ordines hic memorantur, in quorum distinctione lapsi sunt Cujacius *Observ.* lib. III. cap. 14. aliique viri docti. Postremo in loco ponitur *plebs*, id est *populus*, ut supra vidimus. Hinc autem sequitur, *municipes* ab eo discernendos et habendos esse *decuriones*, *rempublicam administrantes*. Vide lib. VII. *Cod. Theodos.* Tit. 21. l. 3. et lib. VI. Tit. 7. l 21. ibique notas. Alias vocabuli notiones tradit Dukerus l. c. pag. 48, 49, 478. Si verum est quod disputavi, *honorati* alii non esse possunt, quam *viri honoribus functi*. Vide quae notata sunt ad lib. I. tit. 8. lib. VI. tit. 7. l. 1. et lib. XIV. tit. 12. Itaque hoc loco egregie corroborantur, quae disputavit Cl. Savigny l. c. p. 23 et 59 sq. Jam hos commonere jubet Imperator, ut sibi eligant *defensorem adhibito tractatu atque consilio*, id est, *habita conventione consilioque capto*. Cf Brisson v. *tractatus*.

Alterum, quod Majorianus Provinciarum Rectoribus mandat, cernitur in electionis cura quam primum agenda, ut brevi et sine civium sumtibus vel incommodis hujus rei notitia ad se perferatur. Duo sibi mutuo oppo-

mantur: nuncius ex civitatibus data occasione mittendus, et iter ab ipsis earum incolis de industria suscipiendum. Nam ut Imperator *desideria urbium* ad se *dirigere*, vel magis latine, *nomina eorum, quos defensores habere cupiunt, sibi nunciare* jubet; sic *ipsos provinciales venire* vetat, et quidem ad *comitatum*, id est ad *comites Palatii* vel *aulae*, atque hinc, per Metonymiam, *ad ipsam aulam*. Loca similia dabunt Brisson v. *comitatus* et Du Cange Tom. II. pag. 802 sqq. Cur autem hoc vetet, verbis indicat *propter expensos vel itineris* (non *labem*, ut turpiter habet *Ott.*, sed) *laborem:* id nimirum cavere volens, ne homines sine causa iter sumtuosum et molestum suscipere cogantur. Commentarii instar sunt verba Novellae de *indulgentiis reliquorum* §. 2. *Nec de longinquis provinciae regionibus cum magno sumtuum expensarumque detrimento ad comitatum nostrum venire audeat ille, qui queritur.* Cf. omnino Novelle Mertiani, cui titulus. *Neminem exhiberi de Provincia ad Comitatum* etc. Nihil hac in orationis parte difficile est praeter dictionem *sub hac solennitate*, cujus explicationem, quae mibi omnino satisfaceret, apud interpretes frustra quaesivi. Nam quod Rittero placet, hic initia imperii adeoque con-

consulatus *Majoriani* significari, minus certum videtur, quoniam haec Novella demum VIII. Id. Martii edita est, quamvis jam calendis Januariis consulatum et praecedente anno imperium aggressus erat. Sed quidquid hujus rei est, loquitur Imperator de festo quodam publico, cujus causa legati civitatum *Ravennam* profecti, hac data occasione, nomina eorum, qui ad defensorum munus electi sunt, ad aures suas perferant. Vox autem *solennitas*, cum et apud Gellium *Noct. Att.* lib. II. cap. 24. legatur, argumentum certe non praebebit Majoriani graviter reprehendendi.

Postremum Imperator Provinciarum rectores certiores facit consilii, quo hanc curam iis praescripsit. Et hic quidem miror, eum iterum repetiisse vocem *ut*, nec potius pro more suo particulam copulativam *et* usurpasse; sed cum consentire videantur libri, equidem nil mutare ausim. Ad illustranda verba *praeter ambitum* egregie conducit locus similis lib. I. *Cod. Theod* Tit. 11. lib. 1. ubi Praefectus Praetorio jubetur eum, qui *ad locum defensionis ambitione pervenerit*, confestim rejicere mulctamque ei imponere. Cf. Ritter ad h. l. et Novella Martiani s. l. Ceterum oratio quidem ad elegantiam et simplicitatem vetustatis minime exacta est: sed

sed neminem facile latebit, Majorianum hoc sibi velle: *ut si, exploratis cognitisque hominum moribus, hoc loco honorifico dignos judicavero, quos elegerunt civitates, electionem eorum confirmem, eosque defensores constituam muneri suo idoneos.*

NOVELLA

DE

SANCTIMONIALIBUS, ET VIDUIS, ET DE SUCCESSIONIBUS EARUM.

Impp. Leo *et* Majorianus *AA. Basilio Pf. P.*

Susceptis regendi imperii gubernaculis, cogitare debemus, quemadmodum nostra respublica et armis, et legibus, et integra religionis reverentia conservetur atque proficiat, cui plurimum sub hac emendatione confertur, si nobilium feminarum amplectenda generositas procreatis liberis multiplicata subcrescat, si piae necessitudines inter parentes et filios nullis inadiarum vitiis immutentur, et verum dei cultum mens non invita suscipiat. Hoc enim quam primum nostri egere majores, ut rempublicam armis et religione fundarent, cujus sacrosanctae venerationem laedi commentis mortalium figmen-

gnentisque prohibemus. Quis enim ferat, parentes filias, quas oderant, his, non tam dicare, quam damnare consiliis, ut eas in annis adhuc minoribus constitutas necessitati continuae virginitatis addicant, ac, ne adolescentibus animis aliud velle sit liberum, capitibus invitarum sacrum velamen imponant, cum hujusmodi observatio, philosophiam religiosa mente suscipiens, non cogentis imperio, sed spontanea et matura deliberatione capiatur? Vitandae etenim sunt et magis attentionibus transeundae humanae cupiditatis illecebrae, in quas praecipue primae aetatis ardor impellit, ut juventutis calore sedato deo dicata virginitas praeter ullum poenitentiae vitium ad senectutis annos et coelestis militiae palmam pervenire mereatur. Quid enim prodest, si cupiditas virginalis patria potestate compressa subdolam voluntatem nubendi arte concipiat, et a legitime revocata consortio ad illicitas trahatur illecebras? § 1. Unde ne per hujusmodi impietatem parentum egestas et opprobrium personis nobilibus irrogetur, et, quod praecipue submovendum est, irrisionibus exsecrandis omnipotentis dei contrahatur offensio, edictali lege sancimus, filias, quas pater materve a saecolari permixtione translatas Christianae fidei servare praecepta continuata virgi-

 ni-

nitate censuerunt, in beatae vitae proposito permanentas non ante suscepto honorato capitis velamine consecrari, quam quadraginta annos aetatis emensae talibus infulis inoffensa meruerint observatione decorari, et multi temporis series, et coelestis consuetudo servitii ad perfidam voluntatem novis desideriis aditum non relinquant. §. 2. Qui ante definitum temporis spatium sanctimonialem puellam, aliis adulti sexus sui votis calentem, memoratorum quisquam parentum velari fecerit atque permiserit, tertia bonorum parte mulctetur: eadem poena constringi etiam illam, quae parentibus destituta intra praedictae aetatis annos voluerit consecrari. Diaconi quoque, qui huic rei ministerium contra interdicta praebuerint, proscriptione plectantur. § 3. Et quia earum coepit causa tractari, quae ad divinae religionis cultum cupientes demigrare volumus non cosetas, si qua parentum odiis obligata propositum servandae virginitatis induerit, quae a fratrum consortio perniciali quodammodo arte subtrahitur, ne aut copulae tradenda maritali patris matrisve congrua largitione, aut eorum decedentium aequa cum reliquis filiis successione potiatur, parentum obeuntium morte jam libera, necdum quadraginta annos, quibus velari nequiverit, aetatis egres-
sa

sa nubendi, ex quo suae potestatis esse jam coeperit, licentiam sortiatur. Neque enim sacrilega judicanda est, quae se hoc ante noluisse, aut certe non posse complere appetiti conjugii honestate prodiderit, cum Christianae religionis instituto atque doctrina melius esse censuerit, virgines nubere, quam impatientiae ardore naturali professae pudicitiae non servare virtutem. Cum itaque in matrimonium, nuptiis secuta, convenerit, exheredatio illi ob hoc a parentibus vehemens, aut sola Falcidiae quantitas relicta non noceat, sed scriptis heredibus, vel suis in virilem portionem, vel extraneis in dimidiam, tamquam praeterita secundum normam veteris Juris accrescat. Digna siquidem tali praemio et successione censenda est, quae procreationem liberorum professa generositatem familiae suae ab interitu nititur vindicare. §. 4. Illis autem, quae spontaneo laudabilique proposito sanctimoniae observantiam virginitatis amore susceperint, in tantum favemus, ut, si forte profana cupiditas improborum devotam deo mentem per crimen raptus violare tentaverit, non solum divalium constitutorum, qui id amiserit (l. admiserit), subjaceat ultioni, verum etiam cujuslibet accusationi reddatur obnoxius ita, ut, qui pollutum tanto scelere hominem rebus probatis post haec consti-

tu-

tuta pertulerit, addicti censu facultatibusque potiatur. Quod nos usque adeo a religiosis feminis jubemus arceri, ut etiam, si quis simile aliquid in quamcumque tentaverit, pari se noverit supplicio esse feriendum. §. 5. Viduarum sane obstinationibus permovemur, quae nulla prole suscepta foecunditatem suam reparationemque familiae repudiata conjugii iteratione condemnant, et solitariam vitam non eo eligunt, ut religioni pudicitiae amore famulentur, sed potentiae ambitum orbitatis suae casibus viduitatisque captantes lascivam vivendi eligunt libertatem: quibus ad omnem licentiae usum aut sollicitantium ficta religio personarum, aut favore callidi captatores applaudunt. Has ad honestioris vitae tramitem prisca dispositione revocantes, aeternali lege sancimus, ut maritali obitu destituta mulier quadragenaria minor, donec procreare per aetatem liberos potest, intra quinquennium nubat. Cui idcirco currentis lustri largimur inducias, ut, per spatium legitimi temporis luctus moerore deposito, eligendi honestiores nuptias habeat potestatem. Sin vero saecularem vitam et conjugales taedas perosa damnaverit, emenso, ut dictum est, quinquennio in viduitate persistens mox cum germanis fratribus, vel sororibus, eorumque filiis, vel pa-

parentibus propinquisque, per quos familiae origo reparatur, suas dividat facultates, aut, si hi fortasse defuerint, cum fisco patrimonium partiatur, nihil intra lustrum temporis illius, quod luctui deliberationique deputavimus, alienaturam de praedictis sex unciis se esse cognoscens, quas parentibus, vel propinquis statuit serenitas nostra proficere, usufructu tantum contenta vivendi, quae tum se probare potuerit studio castitatis secundas nuptias respuisse, cum liberalis fuerit in propinquis. § 6. Illarum vero ratio diversa est, quae suscepta prole gaudentes ob hoc ad secundas nuptias non demigrant, ut affectuosam decedentis viri memoriam in alendis et locupletandis filiis sollicita pietate conservent: quas nubendi, si hoc maluerint, libertate suscepta a conditione superius enarratae definitionis absolvimus, ita ut filiis ex matrimonio priore susceptis, si hoc tamen pars voluerit filiorum, dato fidejussore prospiciant, qui salva fore corpora omnia sponsalitiae largitatis evidenti sponsione promittat. § 7. Optionem sane continuae viduitatis matribus eatenus relaxamus, ut filios in gremio indulgentiae suae positos vel donationibus pro merito prosequantur viventes, vel heredes suprema voluntate constituant. §. 8. Illud sane latus divalis constitutionis abo-

abolemus, quo videbatur matribus fuisse permissum, ut ex quantitate sponsalitiae largitatis in unum filium, si velint, portionem maximam conferendi habeant liberam facultatem: in quam nos filios aequa jubemus lance succedere, siquidem recte illa donatio inter bona paterna numerabitur, quam in uxorem maritus contulit tempore nuptiarum. Si vero matri contra religionem sanguinis propositumque pietatis externus heres insidiatorque subrepserit, quidquid ab ea, non justis causis exheredationis exstantibus, quas sine dubio probaturus est, qui videtur filiis anteferri, donatum fuerit vel relictum, aut irreligioso alienatum translatumque commento, id totum ab eisdem filiis vindicetur. §. 9. Et quia studiose tractatur a nobis utilitas filiorum, quos numerositas procreari pro Romani nominis optamus augmento, procreatis competentia commoda perire non petimur, hoc necessario putavimus praecavendum, ut marem feminamque jungendos copula nuptiali par conditio utrumque constringat, id est, ut nunquam minorem, quam exigit, futura uxor sponsalitia largitate dotis titulo se noverit collaturam, scituris puellis ac parentibus puellarum, vel quibuscunque nupturis, ambos infamiae maculis inurendos, qui fuerint sine dote conjuncti, ita ut nec matri-

trimonium judicetur, nec legitimi ex his filii procreentur. Sane quoniam quorundam cupiditatibus obviandum est, qui generorum exhauriant facultates, ac sibi, vel filiabus suis, vel subornatis quibuscunque personis, priusquam aliquid de nuptiarum pactione constituant, ab incautis juvenibus, et futuri conjugii desiderio concitatis multa faciunt occulta fraude conferri, quae secuta solennitate votorum filiabus refundant, aut forte majore amore perfidiae sibi existimant acquisita, unde ejus callidi frivolique commenti ita nullum jubemus esse effectum, ut, infirmato tali colore contractus, sui juris postea gener vindicet, vel actione proposita securus reposcat, quidquid per illiciti posthac contractus imaginem alienare compulsus est. Inter cetera captatorum etiam aviditas comprimenda est, qui nonnumquam ignotorum paene lectulis assidentes animos ipsa corporum aegritudine fatigatos, et sincera jam judicia non habentes simulata affectione depravant, ut plerique consanguinitatis et necessitudinum suarum frequenter obliti, extraneos scribere videantur heredes, cum insidiosa munuscula diriguntur, cum subornantur medici, qui prava persuadeant, et neglecto medendi studio fiant alienarum cupiditatum ministri. Quibus omnibus ace-

 re-

renitas nostra diligenti examinatione perpensis hoc praesenti lege decernit, ut si is, qui nulla testatori propinquitate conjungitur, neque ex iis personis est, quibus etiam ab intestato deferri quocunque gradu vel titulo poterat antiquo jure successio, heres fuerit institutus, legatum fideicommissumve perceperit, ex relictis rebus, atque corporibus tertiam publice inferat portionem, quatenus hoc saltem metu et testatorum iniquitas et captatorum cesset improbitas. Quae omnia constituta in futurum a die latae legis valere praecipimus, Basili, p. k. A. A. Illustris igitur et praecelsa magnificentia tua saluberrimam sanctionem propositis divulgabit edictis, ut omnes intelligant, remota religiosarum mentium fraudibus impiisque commentis hoc constitutum fuisse, quod emendationi morum utilitatique publicae, reducta in terras justitia, votum omnium socia pietate proficiat. *Dat* VII. *Calend. Nov. Rav.* Leone et Majoriano *A. A. Coss.* (458).

Sanctionalium appellatio, priscis latinis incognita, proprie significat homines, sanctimoniae operam dantes, id est, vitae purae et integrae, ut *sanctimonia* accipitur a Cicerone in *Orat.* pro C. Rabirio cap. 10. Sed labentis ae-

aetatis voluit ingenium, ut et vox illa eximie de *vitae coelibis observatione* usurparetur, quippe qua nihil haberetur melius et praeclarius, et *sanctimoniales* dicerentur *mulieres*, cum maxime *virgines*, in hoc coelibatu degentes. Vide loca Augustini et aliorum apud du Cange, Tom. VI. p. 116, 117. Jam de his *virginibus, viduisque*, id est, feminis marito orbatis, et *successionibus earum*, vel haereditate ab iis accipienda, Legem scribens, Majorianus, non solum injurias et fraudes, quas machinabantur hominis avari, coercere studuit; sed hoc maxime egit, ut assiduo civium detrimento impedimentum poneret. Quo nomine de Republica egregie meritus est, etiamsi bene judicaverit Gibbon, *the history of the decline and fall of the Roman Empire.* vol. VI. p. 148. *Ed. Lips.* in ratione, qua ille vitia coercere voluit, aliquid reprehensione dignum esse. Praeter ea autem, quae titulus indicat, hac in Novella nonnullae quoque parentum et captatorum tanguntur artes et fraudes, in civitatis salutem incurrentes.

Susceptis — *suscipiat.* Verba hujus introitus, quibuscum Ritterus praefationem *Institutionibus* Justiniani praemissam recte comparat, virum nobis testantur, qui, ut cum Platone ait Cicero, *de Offic.* lib I. cap. 25. to-

6* tum

tum Reipublicae corpus, nulla parte deserta, curare conatur. Rectissime Majorianus duobus illis, quae civitatibus salutem afferant, tertiam addit religionem, quippe cujus virtute homines, auctore eodem Cicerone, *de repub.* lib. I, cap. 2. id sua sponte faciunt, quod alias facere coguntur legibus. Religionis igitur et quidem *Christianae*, ad omnes fere Imperii Romani cives jam propagatae, ut integra reverentia conservetur et proficiat, seu amplificetur, nonnulla monet emendanda esse. Et quid sibi velit, ex orationis serie satis intelligitur. Sed verba quaedam minus sunt latina, aut saltem obscuriora. Primum me exercuit dictio *cui — confertur*, ut praepositionem *sub* mutarem in nomen Substantivum *subsidii*, cujus alteram partem excidisse errore librariorum opinabar: mox vero vidi, Praepositionem illam uno alteroque loco Veterum defendi posse. Quod fortasse et existimandum est de Praesenti *confertur*, pro quo tamen, inserta una littera *e*, legere malim Futurum *conferetur*. Magis aliena nec tamen corrigenda est dictio *amplectenda generositas*, qua *splendor familiae magni habendus*, nisi fallor, significatur, ut voci *generositas* eadem notio minus usitata tribuatur, ac paulo inferius, ubi legimus *generositatem familiae nutitur vindicare*.

Jam

Jam haec generositas *multiplicata*, id est, amplificata dicitur et *nobilibus feminis* adscribitur, quarum maxime causa Imperator hanc Novellam edidit. Nam quemadmodum vita coelebs, quo tempore Athanasius et Hieronymus eam in Occidente summopere commendabant, magnopere ibi propagabatur; ita feminis haud secus quam maribus placere inceperat. Nec gentes tantum plebejae, sed patriciae etiam studio ejus captae sunt, ut Marcella, Fabiola, Melania, aliae se ei dicarent. Lege Gothofred. ad *Cod. Theod.* lib IX. Tit. 25. leg 1. et virum hujus rei cum maxime peritum Schroeckh, *Christliche Kirchengeschichte*, Tom. V. p. 166 sqq. Tom. VIII. p. 371 sqq. Cui vivendi generi se in Oriente jam opposuerat Valens. cf. *Cod Theodos.* lib XII Tit 1. l. 63. Majorianus vero, ne illud in Occidente longius serpat, liberorum procreatione familiae augeri monet splendorem. Huic autem monitioni cum alteram addat de necessitudinibus inter *parentes* et *filios*; cave, sequente oratione, quae in sola puellarum cura versatur, hanc tibi fraudem fieri patiaris, ut corrigendum putes *filias*! Genus enim masculinum plus semel de utroque sexu usurpari jam colligi potest ex Schelleri *lexico* et Brissonio v. *filius*

et

et du Cange, Tom. III. p. 496. Inprimis vero comparari merentur loca, ubi eadem in oratione, quae filias diserte memorat, *filiorum* nomine *liberi utriusque sexus* significantur, ut *Novella Valentiniani* III de *Episcopali judicio*, in qua haec legimus: *Muliere in matrimonio intestata deficiente, superstitibus filiis derelictis, pater ususfructus totius patrimonii habeat potestatem, usque ad vicesimum filiorum aetatis annum. Post medietatem restituat filio filiaeve, sibi in diem vitae suae medietate detenta.* Nec negligenda sunt verba *Cod. Theod.* lib. V. Tit. 1. leg. 4. *Si defunctus cujuscunque sexus aut numeri reliquerit filios, et ex filia defuncta cujuscunque sexus aut numeri nepotes.* Infra ipse Majorianus de puella scribens, *ne aequa cum reliquis filiis successione potiatur*, liberos utriusque sexus *filiorum* appellatione comprehendit: uti et in *Novella de Curialibus* loquitur de *masculini sexus filiis.* Addatur Valer. Max. lib. II. cap 4. § 5. *Ludos et lectisternia, continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit*: quod de utroque sexu explicandum esse, apparet ex disertis verbis, quae superius legimus: *duobus filiis et filia ad desperationem usque medicorum laborantibus.*

Hoc

Hoc enim — prohibemus. Gravissima oratio, quae docet, quantum abhorruerit Majorianus a superstitione sui temporis, quae una in vita coelibe beatitatem collocare inciperet. Contra *Mss. Ottob.*, in quibus legitur *sacrosanctam*, Cl. Hugo lectionem editionis vulgaris *sacrosanctae* recte tueri videtur. Hoc enim Adjectivum jungi non solet cum Substantivo *actionem* significante. Unum, quod reprehendatur, est in voce *figmentis*, Ciceronis aetati incognita, nec seculo post usurpata nisi de *rerum umbris* vel *imaginibus*; sed apud scriptores labentis aetatis, inprimis Augustinum, uti *de civit. Dei* lib. III, cap. 11 aliosque Patres Ecclesiasticos, trita ad *fraudes* denotandas. Cl. Cellarius *Curae Posteriores* pag. 141 sqq. et *Antibarbarus* pag. 111, 112.

Quis enim — capiatur. Aggreditur Imperator perversitatem, cujus causa hanc maxime Novellam scripsit. Verba *his, non tam dicere, quam damnare consilüs*, quodammodo similia sunt eorum, quae legimus lib. IX. Tit. 25. leg. 2. *Cod. Theod. non dicam rapere, sed, vel attemptare virgines.* Valde tamen dubito, num bene significent mentem auctoris, quae haec esse videtur: *ita tractare, non eas dixerim Deo dicantes, immo vero damnantes potius.* Nec valde

per-

perspicua sunt, quae ad sententiae finem legantur *hujusmodi observatio*, *philosophum religiosa mente suscipiens*. Vox enim *observatio* ab hoc loco aliena est, nisi aliter accipiatur, quam in veterum scriptorum libris, et quidem *de instituto seu vivendi ratione*. Vox enim *observatio*, ut bene intelligatur, aliud post se habere debet nomen, in genitivo positam. Ex adjunctis tamen apparet, auctori in mente fuisse *institutum*, *vitae rationem*, seu potius *studium*. Sic veteres *observatione* cum *veri*, tum *honesti studium* denotarunt; illam ab *animadversione* ita distinguentes, ut hac dicerent id, quod sine studio fieret et mera animi attentione. Cff. *Cicero in Bruto* cap. 9. et *Orator.* cap. 55. ubi *notatio naturae* idem esse videtur atque *observatio naturae*. In sermone vernaculo similiter inter se differunt vocabula *waarneming* et *opmerking*. De verbo *addicere* nonnulla monebimus infra. Sed silentio hic praetereunda non est notio peculiaris, quam habet *philosophia*. Veteres eam dixisse constat de studio disciplinarum, quae *cogitando* inveniuntur, uti Platonem *de Republ.* lib. V pag. 475. Serr. Aristotelem *Metaphys.* lib. VI. cap. 1. Opp. Tom. II. pag. 903 Duvall. Ciceronem *de Orat.* lib. I. cap. 49. Quod quamquam scriptores Ecclesiastici haud

taro secuti sunt, in aliis tamen locis vocem de doctrina sumserunt, e Deo accepta, et quidem de *religione Christiana*, quo sensu Eusebius. *Hist. Eccles.* lib II cap. 13. Χριστιανῶν φιλοσοφίαν memorat. Cf. Suicerus in *Thesauro Eccles.* h. v. Tom. II. pag. 1441, 1442. Deinde vero eam ad *vitam coelibem* transferre non dubitarunt. Insignis exstat locus apud Sozomenum *Hist. Eccles.* lib. I. cap. 12, ubi laudationi τῆς μοναστικῆς πολιτείας continuo additur: ὠφελιμώτατον γάρ τι χρῆμα εἰς ἀνθρώπους ἐλθοῦσα παρὰ Θεοῦ ἡ τοιαύτη φιλοσοφία. Plura ex Graecis scriptoribus dabit Suicerus l. c. pag. 1441, ex Latinis Du Cange Tom. V pag. 447, qui et recte hanc Majoriani Novellam excitat. Addantur scriptores l. l. a Schultingio l. l. Tom. I. pag. 12. Sed notari meretur, hujus Imperatoris aetate abusum vocis in Latino sermone rariorem fuisse, frequentissimum in Graeco. Cujus rei causa in eo cernitur, quod et antiqua philosophandi ratio, et vita contemplativa minores in Occidentali Imperii parte quam in Orientali progressus fecerat. Haec de verbis; in re nemo haerebit, qui meminerit, illo tempore jam contubernia fuisse virginum; quae velamine capiti imposito vitae caelibi a Parentibus, nunc hac, nunc illa de caus

sa consecratae essent. Cff Gothofred. ad *Cod Theod* lib. XV. Tit. 7. l. 12. et Fuhrmann *Handwörterbuch der Christlichen Religions-und Kirchengeschichte*. Tom. III. pag. 142 sqq. 235 sqq.

Vitandae — mereatur. Recte pro vulgari *Deo* et *ullum* Cl. Hugo cum Amad. ex *Ottob.* scripsisse videtur *Deo* et *ullum*. Alterum quoque conjecit Ritterus et probatur collatione lib. IX. Tit. 25. leg. 3. et lib. XV. Tit. 7. leg 12. *Cod Theod.* ubi legimus *Dicatam Deo virginem*, et *virgines, quae Deo dicatae sunt*. Ita et Hieronymus Ep. XXVII. §. 1. scripsit *devotam Christo filiam*. Cf Cellar. *Cur. Poster.* p. 262. ubi plura. Alterum longe praestat correctione Ritteri *illud*, quoniam supra de *poenitentia* aut *poenitentiae vitio* nihil dicitur. Verba autem *praeter ullum poenitentiae votum* ab ingenio Latino magis recedere videntur, quam revera discedunt: si quidem hunc habent sensum: *ita ut se numquam poenitentiae obnoxias faciant*. Minus asseveraverim, pro vulgari *senectae* bene substitutum esse *senectutis*: nam quamvis *senecta* neque apud Du Cange, neque alibi, quantum scio, reperitur, fieri tamen potest, ut Majorianus et forte alii quoque hac voce per *soloecismum* usi sint: quod

quod nisi sumitur, mirandum profecto est, librarios pro voce omnibus cognita *senectutis* scripsisse incognitam *senectae*. Sed quaenam sint *magis attentionibus transeundae illecebrae*, non intelligo. Ut enim plurale *attentionibus* hic valde incommodum est, nisi Adjectivum ei additur, quod tamquam plurale inducat; ita causam non video comparationis, quam Adverbium *magis* continet. Quare dubium mihi non est, quin leni mutatione legendum sit *magnis attentionibus* etc. Restat, ut auctoris mentem, quae verborum involucris obtecta est, breviter explicemus. Illecebras igitur cupiditatis humanae, in quas praecipue primae aetatis ardor impellat, vitare et quam diligentissime avertere jubet, ut, fracto animorum calore, virgines Deo dicatas nunquam poeniteat vitae, ad quam adstrictae sunt, sed ut illam usque ad mortem fideliter persequantur, pietatisque coronam et quasi militiae coelestis palmam post fata nanciscantur. Quae laudatio virginitatis perpetuae utrum ex animo Imperatoris profecta, an tempori accommodata sit, dicere equidem non ausim.

Quid enim — illecebras Haec sententia variae interpretationi obnoxia est: sed sensus orationis huc redire videtur. Quid enim prodest Deo dicatam esse virginem, si, patris arbitrio

 cu-

prohibita ne viro nubat, vehementi ejus flagret desiderio, et, per vitae coelibis regulas a legitimo connubio semota, in obscoenos amores feratur.? Cl. Hugo cum aliis viris doctis ad fidem *Mss. Ottob.* pro plurali *trahantur* singulare *trahatur* substituit, quam mutationem series orationis postulare videtur: sed si intelligitur vox *virgines*, ex superioribus *cupiditas virginalis* repetita, plurale non adeo incommodum est. Quod attinet ad vocem *arte*, suspicatus sum, hic Adverbium legi, frequentius *arcte* quam *arte* scriptum, ut *arte concipiat* idem significet ac *minime missam faciat*. quo sensu apud Ciceronem *Parad.* I. reperimus: *illud arcte tenent accuratique defendunt, voluptatem esse summum bonum.* vel ut fortasse dicere velit auctor: *vehementius excitet et inflammet.* Post *ante* pro *arte* substituendum esse censui: sed praecedens Adjectivum *subdolam* dubium me reddidit, an Substantivum *arte* non retineri posset, ut *callida et clandestina concipiendi ratio* eo denotaretur. Si in editionibus legeretur *voluntatem nubendi subdolam*; Accusativum in Ablativum mutare et voces *subdola arte* copulare vellem, ut infra scriptum est *parricidali arte*. Dictione autem *subdola arte* significantur fraudes et machinationes, quibus utitur puella, ut amori indulgeat.

gent. Quidquid est, mirabilis dictio est *cupiditas — voluntatem — concipiat* et a Veterum usu prorsus aliena.

Unde ne per — relinquant. Hic igitur exhibetur illud Majoriani edictum, quo se sacrorum Christianorum antistitibus valde commendasse dicitur. Nec negare ausim, eum clericis, qui dicuntur, superioris ordinis gratum se et acceptum fecisse, ut haud ita pridem post alios monuit Schlosserus, *Weltgeschichte im zusammenhangender Erzählung*, Tom. I. pag. 716. Sed quidquid Baronius in *Annal. Hist. Eccles.* ad annum 458 aliique dicunt, credere non possum, hoc ipsum Imperatoris decretum placuisse hominibus, qui et vita coelibi nihil praeclarius esse ducerent, et omnes vires intenderent ad regiminis ecclesiastici fines proferendos. Deinde vix aliter quam aegre ferre potuerunt legem, quae se opponere videbatur *Canoni* XV et XVI *Concilii Chalcedonensis*, quo transitus ad vitam coelibem nulli aetati interdictus, sed statutum tantum erat, virginibus, quotquot se virginitati devovissent, non amplius licere, ut viro nuberent. Vide *Acta. Concil.* Tom. II. p. 706. Ed. Harduini. Pontificem Leonem quod attinet, si Majoriano auctor exstiterit hujus Novellae edendae, censendum est, eum

si-

sibi non constitisse; cum ipse in *Epistola ad* Rusticum Narbonensum scripserit: *Puellae, quae non parentum coactae imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, praevaricantur, etiamsi consecratio non accessit: cujus utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.* Verba descripsit Ritterus ad h. l. Cf. Bower, *Historie der Pausen*, Tom. II. pag. 175 sqq. Fortasse omnia, quae scriptores nobis hac de re tradiderunt, in concordiam redigi possunt, si statuimus, antistites quidem sacrorum ipsumque Leonem cum Imperatore de eo consensisse, ut matrimonii ineundi facultas daretur virginibus, quas parentum imperio et praeter suam voluntatem vitae coelibis vinculo adstrictas esse constaret: sed tantum abfuisse, ut probarent, quod ille de nullis virginibus ante quadragesimum aetatis annum in perpetuum consecrandis jussisset, ut omnes, quae se sponte sua Deo devovissent, etiamsi vel maxime tenerae aetatis essent, a matrimonio arcendas esse perhiberent. Jam tria cavere vult, ne puellae, ex nobili stirpe ortae et bonis, quae iis jure debebantur, privatae, ad egestatem perducantur; tum ne religione coelibatus, dura necessitate iis im-

po-

positi, violanda opprobrium sibi suaeque familiae conscisceret; denique ne hac violatione, tamquam nefario rerum sacrarum risu, Deus ad indignationem et iram provocetur. Haec igitur cavere volens consecrationem virginum, quas conditioni illi addixerunt parentes, differre jubet, usque dum, quadragenariae factae, diuturna abstinentiae observatione ostenderint, se velamine dignas esse, annorumque gravitas et vitae coelibis consuetudo omnem defectionis metum averterint. Ita et Gibbonus l. c. Tom. VI. pag. 148. mentem auctoris interpretatur. Quamvis autem honorifice de *Sanctimonialibus* loquitur, vestigiis tamen satis apertis prodit, se huic hominum generi non admodum favere. Quod cum aliis commune habuit Imperatoribus, qui Reipublicae prodesse malebant, quam superstitioni servire. Et postquam Constantinus *Cod. Theod.* lib. VIII. Tit. 16. legem *Juliam* et *Papiam* hactenus abrogaverat, ut aequalia jura tribueret iis, qui extra matrimonium viverent et liberis carerent, ac conjugibus prole gaudentibus, necesse omnino erat contagioni labentis aetatis resistere. Sed nemo, quantum scio, tam fortiter se ei opponere ausus est quam Majorianus, qui sane legis gravitate orationis vitia veluti compensat. Orationi enim variae insunt aut vo-

voces, aut vocum notiones antiquis plane incognitae uti *persona nobilis*, *lex edictalis*, *permixtio saecularis*, *coeleste servitium*, quorum partem peperit necessitas enunciandi, quae nova et ex religionis Christianae abusu profecta erant. Praeterea a veterum grammaticorum ratione discedit quod *servare* positum est pro *servare debere*. Utrum secundum vulgarem editionem legendum sit *censuerunt*, an, quod in *Mss. Ottob.* legitur et nominibus praecedentibus *pater materve* magis convenit, *censuerit*, mihi incertum est.

Qui ante — plectantur. Tres, quibus haec paragraphus constat, sententias comprehendimus, quoniam arctissime junctae sunt. Prima, quae post verbum *mulctetur* nota majori, idest, puncto distinguenda est, nihil habet ambigui aut obscuri, cum nemo non intelligat, mulctam tertiae bonorum partis parentibus indici, si fecerint aut permiserint, ut filiae suae, matrimonium inire cupienti, ante quadragesimum aetatis annum velamen imponatur. Nec putaverim tamen, Latinos veteres scripturos fuisse *adulti sexus sui* pro *sexus sui*, *si adoleverit*, vel si hoc magis placet, *adultae aetatis suae*; aut *memoratorum quisquam parentum* pro *sive pater seu mater*; alterum enim ad sexum refert,

quod

quod ad sexus illius homines referendum est, alterum nimiae debetur Jureconsultorum labentis aetatis sedulitati, quae repetendis vocibus cavere studuit, ne sensus orationis pervertere-tur. Particula autem *atque* ab hoc loco tam aliena videtur, ut prope absim a corrigendo *aut qui*, quod a vulgari editione haud longe discedit. Haec de prima sententia: de tertia *Diaconi - plectantur* notandum tantum est, *Diaconos* Ecclesiae hic nominari videri, quoniam, institutioni Catechumenorum cum maxime praefecti, multum apud puellas valerent animosque teneros et incautos ad placita parentum sequenda facile irretire possent. Cf. Suiceri *Thes.* Tom. II. pag. 872. Majorem vero difficultatem parit sententia media *eadem - consecrari*. Illud enim *constringi*, quod Cl. Hugo retinuit, et longius a verbo *sancimus* distat, quam ut inde pendere possit, et valde incommodum est inter duo finita *mulctetur* et *plectantur*. Ceterum Vir Cl. ad fidem *Mss. Ottob.* hunc locum ita quidem correxit, ut sensum habeat, quo vulgata caret editio: *constringi, etiam quae illa parentibus destituta, ut intra* etc. sed primum *illa* in *illam* mutavit, deinde hanc vocem Pronomini *quae* praeposuit, denique Particulam *ut* omisit: quae tria tamen per se mihi non adeo

offensioni essent, si Infinitivum *constringi* orationi conveniret. Nunc vero valde dubito, an non praeferenda sit coniectura **Ritteri**. *constringenda etiam illa, quae parentibus destituta, intra* etc. Aut si haec quoque verba nimis ab editione vulgata discedunt, vide, an scribere praestet: *constringatur puella, parentibus destituta, ut intra*. Quo probato, Particula *ut* comparandi notionem non amisit quidem, sed ita posita est, ut eum *si quando* vel simili permutari possit. Cff. praeter **Facciolatum** aliosque Lexicographos; **Sanctii** *Minerva* pag. 807, 808 ibique Periz. et **Schellerus** *Praecepta stili bene latini*, Parte I. pag. 157, 158. Vox autem *puella* in hac ipsa Novella nobis occurrit, ut et *Cod. Theod.* lib. IX. Tit. 24. leg. 1. de re simili cum *parentum* appellatione coniungitur.

Et — quia sortiatur. Tria haec sententia continet: introitum, Protasin et Apodosin. Introitus sic scribendus est, ut verba *non coactas* a praecedentibus commate sejungantur. Haec enim **Majorianus** participio *cupientes* opponens, virgines, si vitam coelibem ineant, voluntarias agere jubet, non invitas constringi. Similiter in Novella de *Episcopali judicio* ab initio scri-

psit: *Onus, ut volentibus patimur imponi, ita ab invitis jubemus arceri*. Et alibi occurrunt, quae toti huic praefationi similia sunt, ut in Novella de *Indulgentiis Reliquorum*. § 3. *Et quia totum pro remedio possessoris serenitas nostra constituit*. In Novella de *Curialibus*. § 7. *Et quoniam usquequaque obviandum est eorum dolis*. Ita et Infra §. 9. Protasis puellam memorare videtur, quae parentibus minus cara et dilecta, et ab iis, ne nuptiarum tempore dote, aut post mortem eorum hereditate potiatur, fraudulenter ex aedibus remota, virgo manere sibi proposuit. Hoc autem verbis enunciatur latinis quidem, sed minus bene ordinatis. Inprimis ambigua sunt *copulae tradenda maritali patris matrisve congrua largitione*: neque ea explicare possumus, nisi prioribus *copulae tradenda maritali* eum editione vulgari *comma* subjicimus, eaque ad ipsam puellam referimus, ita ut hoc sibi velint *nequando viro in matrimonium tradi debeat*. Posteriora nunc facile intelliguntur, dummodo meminerimus, vocem *congrua* breviter dici pro *eorum conditioni congrua*, vel magis latine *congruente*, et *largitionem* denotare *donationem liberam*, quae nuptiarum tempore usitata est. Cff Brissonius h. v. et Cellarius *Cur. Post.* p. 205, 206. Vocem

 au-

autem *odiis* illustrant, quae reperiuntur in Nov. de *Episcopali judicio: Liberis aliis amore nimium gratificantur, et alios injusta sententia persequuntur.* Nec multum fatigabimur Apodosi *parentum sortiatur:* quippe qua manifestum est, puellae supra dictae, si vigesimum quintum attigerit nec quadragesimum superaverit aetatis annum, permitti, ut mortuis parentibus viro nubat.

Neque enim — virtutem Si verba *appetiti conjugii honestate produderit*, in quibus ad Orientalium morem Abstractum pro Concreto occurrit, sic exposita sunt, *honesto, quod appetierat, conjugio ineundo prodit*, nihil hic est, quod lucem sibi postulet, praeter formulam satis insolentem *impatientiae ardore.* Significatur haud dubie *ardor animi, quem impatientia parit vitae coelibis*, vel brevius *flagrans vitae conjugialis desiderium.* Sic in *Declam* XIV Quinctiliano tributa vox *impatientiae* sumitur, cum ibi continuo legamus: *immodico ardoris, aestu et exundante impatientia.* Et multa alia exempla congessit J. F. Gronovius *Observ.* lib IV. cap 25. pag. 395 sqq. Quocum consentit Orellius ad Arnobium *adversus gentes.* lib. IV. cap 22. Ad finem sententiae in mente auctoris fuisse Pauli verba 1 Cor. VII 8. jam monuit Rit-

Ritterus. Rem quod attinet, longe aliter Ambrosius de *Virginibus* lib. III. *Utinam*, ait, *possem revocare nupturas! Utinam possem flammeum nuptiale pro integritatis velamine mutare!* Et sic multi Patres Ecclesiastici, quos merito exagitat Barbeyrac *Traité de la Morale des Peres de l'Eglise*. cap. IV. § 6 sqq. Cap. VIII. §. 2 sqq. Cf. et Gothofred. *Cod. Theod.* lib. IX. Tit. 25. l. 1.

Cum — *accrescat.* Hujus orationis intelligendae viam et rationem nobis monstrant Jureconsultorum scripta. Docent illi, *suos* esse heredes, qui secundum *naturae legem* bona testatoris accipiant, *extraneos*, qui acquisitionem eorum ipsius debeant arbitrio: *Falcidiae quantitatem* quartam dici bonorum partem, quae haeredibus legitimis, quidquid aliis legetur, relinquenda sit ex Plebiscito, quod Augusti tempore C. Falcidius, Tribunus plebis, rogaverit: *praeteriri*, quorum nomina, scriptis heredibus, in testamento non memorentur: *norma* denique *veteris Juris* significari *legem XII Tabularum* statuentem: *Paterfamilias, uti legassit super pecunia tutelave sua, ita jus esto;* atque his verbis juris esse declarantem quidquid paterfamilias de bonis suis in testamento scripserit. Cff. van Bynkershoek *Observ. Jur. Rom.* Tom I. Ed.

Ed. 3. p. 117 sqq. et scriptores laudati a **Schulting.** et **Smallenb.** Tom. V. pag. 530 sqq. ubi et de *accrescendo* dicitur. Ceterum his de vocibus **Brissonium** consuluisse sufficiet. Paulo difficiliora videntur haec esse: cum *matrimonium nuptias secuta, convenerit*, sed dubitare non possum, quin dicere voluerit Imperator: *cum hujusmodi puella conjugium solenni ritu inierit.* Nimirum *matrimonium* et *nuptiae*, quamvis vulgo permutantur, reapse inter se differunt, ut altera voce *conjunctus mariti et uxoris status*, altera *eorum conjungendorum ratio* denotetur. Et veteres sane utramque plus semel distinxerunt. Quam ob rem l. 10. de Ritu Nupt scriptum est *matrimonium vel nuptias contrahere.* Ad quem locum legatur **Noodt** Opp. Tom. II. p. 379, ubi tamen aliam utriusque vocabuli distinctionem in medium protulit. Quid evidentius est, quam quod *Institut.* **Justin.** lib. I. Tit. 10. §. 12 legimus, *nec vir, nec uxor, nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligitur?* Nam uti ceteris vocibus diversa denotantur; sic etiam negari nequit, interesse inter *nuptias* et *matrimonium.* Nec locis, ubi utrumque copuletur, confusionem inesse putamus. Idem quidem auctor Tit 9 §. 1. scripsit *nuptiae sive matrimonium est viri et mulieris con-*

jun-

junctio, individuam vitae consuetudinem continens; sed si duobus illis eandem plane vim tribuit, quid est, quod alteri alterum, veluti se corrigens, adjecerit ejusque solius in tota oratione rationem habuerit. Cf. Vinnii *annot.* ad h. l. Similiter in *Cod. Theod.* lib. III. Tit. 7. leg. 3. Tit. 8. l. 2. et alibi utrumque confundi dixeris; sed aliquod tamen discrimen poni ex eo apparet, quod nuptiis adscribitur *solemnitas* vel *celebritas*, matrimonio non item. Ipse jam Cicero has voces in Orat. pro Cluentio cap. 12 distinxit ubi, *quae nuptiae*, ait, *non diuturnae fuerunt erant enim non matrimonii dignitate, sed sceleris societate conjunctae.* Quae cum ita sint, haec oratio puellam jubet vitae coelibi destinatam, si ei propter nuptias a parentibus haereditas adempta, aut quarta tantum bonorum pars relicta sit, nihil hinc detrimenti capere; sed eodem loco ac heredes in testamento nominatos habere, ut vel legitima bonorum portione, vel dimidio eorum potiatur. Idem autem hic manet sensus, sive Adjectivum *vehemens* retinetur, seu pro eo suadente Cl. Hugone substituitur Participium *veniens*, aut, si hoc magis placet, *eveniens*: quorum alterutrum certe huic loco convenientius esse videtur, quam quod in editionibus exstat.

Di

Dignam — *vindicare.* Orationem correctiorem Cl Hugo secundum *Mss. Ottob.* edidit, quam habet Vulgata: *Dignam siquidem tali praemio et successione censendum est.* Quod tamen omni non carebit praesidio, si monueris, verbum *esse* intelligendum, vel a librariis post *successione* omissum esse. Ceterum omnia satis sunt perspicua.

Illis autem — *potiatur.* Monet Ritterus, idem statuisse Honorium de *raptu et matrimonio Sanctimonialium*, quae lex reperitur *Cod. Theodos.* lib. IX. Tit. 25. l. 3; ubi virginis Deo dicatae raptor, *publicatis bonis*, *deportatione plectendus esse* dicitur. Multo gravius est quod jussit Jovianus ibid. l. 2. *capitali sententia feretur.* Majorianus vero Honorium sine dubio secutus est in poena emolliendа, ut *deportationem* pro *capitali supplicio* substitueret. Si quis autem quaerit, cur poena deinceps emollita sit, causa posita esse videtur in criminis incremento, quod, ne animadversiones severiores nimis augerentur, lenitatem aliquam postularet. Loquitur auctor hoc loco de puellis, ante quadragesimum aetatis annum vitae coelibi sponte sua consecratis; nondum vero ei solenniter initiatis et velatis, quod supra vetuit. Ulteriore interpretatione haec sententia non indiget, dum-

modo intelligatur, quid *divalium constitutorum ultio* et *addicti census* sit. Atqui illud *poenam* significat *Imperatorum legibus constitutam*, qui nova voce *divales*, id est, *divini* appellantur. Similiter Spartianus in Caracalla cap. 11. de Faustinae *templo et divali nomine*, et Justinianus in *Cod.* lib. V. Tit 9. l. 10. de *Divali constitutione* Leonis loquitur. Cf. Brisson. h. v. Hunc autem honoris titulum Imperatoribus non nisi post mortem datum esse testatur Tacitus *Annal.* lib XV. cap 74. *Deûm honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.* Nonnunquam tamen ab adulatoribus *Divi*, id est, *Dii* (cf. Cellarius *Cur. Post.* p. 241 sqq.) dicti sunt, qui hac ex vita nondum exierant, ut vel Nero a Cereali Anicio, consule designato, et Titus quoque *Caesar Divus* et *Divi Imperatoris* Vespasiani *filius* appellatur apud Gruterum *Inscript.* p. CXIII. N. 4. *Census* vero de tali hominis conditione dicitur, ut *in censum veniat:* quare praeponitur *facultatibus*, quas Brissonius, Facciol. aliique monuerunt *census* appellatione haud raro denotari. Ita et *Glossar. nomin. Cod. Theod.* h. v., et ipse auctor in Nov. de *bonis caducis* §. 2. scribens: *omni censu praedictae mulieris disquisito.* Sed si vim

 vo-

vocis accurate definire volumus, minus de *ipsis facultatibus*, quam de *earum aestimatione* usurpatur, ut satis bene conveniat vernaculae *schätzung*. Recte igitur Majorianus scripsit *censu facultatibusque potiatur*, id est, *ad aestimationem bonorum et ipsa bona perveniat*. Et praefit Cicero *Orat.* pro Flacco cap. 22, ubi ex verbis *homini egenti* apparet, sequentia *sine censu de ipsis facultatibus* sumi non posse. Vocabulum autem *addicti* quid significet, disputari potest. Non nemini forte positum videbitur pro *convicti*, quomodo Facciolatus probare conatus est, Ciceronem verbo *addicere* bis uti; sed credere malo, auctorem breviter scripsisse *addicti* pro *addicti poenae* vel *ultioni*: id est, secundum legem Honorii supra memoratam, *bonorum amissioni et deportationi*. Dictis adjicimus, eandem formulam *crimen raptus*, quae hic nobis occurrit, et pro qua vulgo simplex *raptus* vel *raptus scelus* legitur, reperiri ff. in *lege Jul. de Adulter.*, quo in loco exstat: *raptus crimen legis Juliae de adulteriis potestatem excedit.*

Quod nos — feriendum. Una quaestio est, quaenam *religiosae feminae* sint. An forte mulieres, matrimonii lege cum viro conjunctae, et virginum tamen vitam coelibem imitantes? Multas

tas ab antiquo exstitisse novimus, quae huic superstitioni se addicerent, easque *religiosas* appellatas esse docet du Cange vol. V. p. 1300. Gothofred. vero ad lib. IX. *Cod. Theod.* Tit. 25. l. 1. illud accipit de *viduis vitae coelibi consecratis.* Notatu autem dignum est, in legibus Imperatorum, eandem similemre rem spectantibus, conjungi solere puellas et viduas, uti et apud Socratem *Histor. Eccles.* lib. I. cap. 17. Et si attendimus animum ad sententiam proxime sequentem *viduarum sane* etc., hoc alteri praeferendum esse satis constat. Nam cum verba illa sic explicari debeant: *Verum quidem est, viduas* etc. Imperator ipse *feminarum religiosarum et viduarum* nomina permutare deprehenditur.

Viduarum sane — applaudunt. Pro vulgato *colligunt* Cl. Hugo ad fidem *Mss. Ottob.* scripsit *eo eligunt.* Quae tamen vereor ut restitutio geminae scriptionis sit, quoniam usus ejusdem verbi *eligunt*, qui ad hujus sententiae finem nobis occurrit, ferre non videtur, ut illud hic legatur. Quid? si utrumque *colligunt* et *eo eligunt* ex *eo consilio agunt*, vel etiam ex *eo agunt* ortum esse dixerim? Locorum copiam, ubi *eo* pro *eo consilio* positum est, praebent Facciolat. aliique Lexicographi, sed nulla opus

9* es-

esse videtur mutatione, si dictum *vitam solitariam colligere* explicatur *vitam angustis his includere finibus*, *ut caelebs agatur.* Oratio et verbosior et implicatior est, quam sermonis latini simplicitas et elegantia patitur. Nec sensus tamen mihi multum fecit negotii Imperator, nisi fallor, aegre fert pertinaciam viduarum prole carentium, quae ad familiam suam liberorum procreatione illustrandam nuptias repetere nolunt, nec coelibes vivunt, ut rebus inserviant divinis, sed potentiae, qua in solitudine sua gaudent, amplitudine abutentes, dissolutam vitam agunt, et ad omnem libidinem, vel corruptiona hominum, qui pietatem simulant, vel assentationibus aliorum, qui lucri causa eas circumveniunt, incitantur Quomodo autem haec sententia cum praecedenti cohaereat, jam supra ostendi, Adverbio *sane* interpretando *verum quidem est*· quod confirmabitur comparatione verborum *Illarum vero ratio* etc. § 6, quae huic dictioni et sequentibus opponuntur. A bonis vero scriptoribus, si bene memini, alienum est *obstinationes* in plurali usurpare, tum et *ambitum* pro *amplitudine* sumere, tum denique scribere *sollicitantium ficta religio personarum*, pro *sollicitationibus eorum*, *qui se religiosos esse fingunt*. E contrario rectissime *callidi captatores* appellantur, *qui assentando lucrum*

si-

sibi quaerunt, ut apud Petron. *Satyr.* cap. 125. *Quod si callidus captator exploratorem in Africam miserit.* Vide Annot. Interpretis ad cap. 141. Cff. et van Bynkershoek *Opusc. Var. Argum.* pag. 306 sqq. et Schultingius et Smallenburgius l. c. ad l. 70. *de hered. instit.* ubi tamen praecipue de hereditatis agitur captatione, quae infra nobis occurret.

Has ad honestiores — fuerit in propinquis. Tres sententias comprehendimus, quoniam nec prima nec secunda babet, de quo notari mereatur, praeter novitatem Adjectivi *aeternalis*, quam ostendit Cellarius *Antibarbarus*. pag. 4. et obscuritatem dictionis *prisca dispositione*, quae quomodo accipienda sit, mihi non liquet, nisi forte spectat severitatem, qua olim Augnstus homines insectatus est, qui nuptiis abstinebant, nec caste vivebant. Cf. Casaubonus in Baronii *Annales Exercit.* VIII. cap. 1. Sic in Novella de *Indulgentiis reliquorum* §. 2. *leges antiquae* ab auctore dicuntur *vetus providentia dispositioque majorum.* — Tertiae sententiae plura insunt, quae curam sibi requirant. Incipimus a correctione, quam Cl. Hugo ex *Mss. Ottob.* attulit, pro *propinquis* — *aut si his* scribens *propinquisque* — *aut si hi.* In utroque certe loco vitiosa est editio vulgata; sed in al-

altero fere legendum esse conjeceris *propinquis- ve*, uti infra *vel propinquis* et similiter *Cod. Theod.* lib. V. Tit. 1. leg. 9. Quidquid vero est, in verborum *vel parentibus propinquisque* interpretatione, quodammodo haesi. Dubium quidem non est, quin voce *propinqui* significentur saepissime homines, *sanguinis tamquam vinculo conjuncti*, quibus Cicero *Orat.* pro Rosc. Amerino cap. 34. ideo *cognatos* adjicit et quos Virgilius *Aeneid.* lib. II. vs. 86. *consanguinitate propinquos* vocat. Cff. *Cod. Theod.* lib. IX. Tit. 40. leg. 18. ibique Gothofred. Sed cum hic praecedant *germani fratres, sorores, eorumque filii*, id est *liberi*, tum maxime *parentes*, quaestio agitur, de quibusnam auctor locutus sit. Meam si exprimere licet sententiam, appellatio *propinquorum*, cum ipsa vox vaga et infinita sit, nunc strictius, nunc latius sumi debet. Et latissime quidem de *omnibus*, quocunque consanguinitatis gradu inter se conjuncti sunt, ubi nihil aliud ei adjunctum est, quo definiatur: uti in dictione ad finem hujus sententiae, *cum liberalis fuerit in propinquis*, similiter in *Cod. Theod.* lib. V. Tit. 1. leg 9, itidem ad finem legis. Sed aliter se res ibi habet paulo superius, cum voci praefigatur altera vim ejus restringens. Occurrunt enim

haec :

haec ne *ullis parentibus aut propinquis praeferantur conjuges*, et *parentibus exstantibus vel propinquis*. Jam parentum nomine indicantur non solum *pater* et *mater*, sed alii gradu natura superiores, ut *avus*, *avia* etc. Cf. **Dunkerus** l. c. p. 213 sqq. *Propinquos* igitur *fratres, sorores, ceterosque consanguineos, quotquot a parentibus diversi sint* esse putaverim, quamquam non ignoro dissentire **Gothofredum**. In sermone vernaculo dixeris *ouders en nabestaanden*. Haud longe hinc recedit, quod habet **Curtius**. *Histor.* lib. VIII cap. 6. *Frequens concilium adhibuit, cui patres propinquique eorum, de quibus agebatur, intererant*: ubi *patribus*, id est consanguineis superioris ordinis, ceteri cognati et affines *propinquorum* nomine adjonguntur. Ejusdem numeri sunt, nisi fallor, *proximi*, *parentibus appositi* in *Cod. Theod.* lib. IV. Tit. 22. leg. 4. *Ad redintegrationem fortunae servis etiam praebeatur facultas, amicis praeterea, parentibus, proximis, vel liberis*. At ubi non solum a *parentibus*, sed etiam a *proximis* distinguuntur *propinqui*, uti in *Cod. Justin.* lib. VIII. Tit. 5. leg. 1; *parentum* vox notionem supra propositam retinet; *proximi* vero esse videntur *fratres germani*, *sorores*, *eorumque liberi*, et *propinqui* hoc nomine ce-

teram consanguineorum turbam complecti videntur. Et ita, si quid video, auctor noster primo in loco *propinquorum* nomen sumsit. quemadmodum in Novella *de Curialibus* §. 7. masculini sexus *propinquis* denotavit omnes, *prole* ejusdem sexus excepta, et Theodosius lib. III. Tit 6. *propinquos* itidem omnes dixit, exceptis administrantium filiis et nepotibus. Paulo autem inferius Majorianus scribens: quas *parentibus vel propinquis statuat*, omnes praeter parentes in mente habuit. Plura dabunt Brisson et Facciol. in v. Du Cange Vol. V. pag. 181. Restat nobis, ut nonnullas locutiones breviter explicemus. *Vita* igitur *saecularis* est, secundum Latinos, *vita centum annorum;* sed voluit usus *Ecclesiasticus*, ut significaret *vitam civilem*, *solitariae* oppositam. Cf. Cellarius in *Antibarbaro* pag. 214. et *Cur. Post* pag. 283, 284. *Deputavimus* et *statuit proficere*, itidem contra Latinorum morem scripta sunt, alterum pro *decrevimus* vel *constituimus*, alterum pro *statuit profecturas esse*. Quod tamen ne sic quidem sine vitio est, quoniam ex more Veterum verbo Activo *proficiendi* non adjungitur dativus. Cff. Cellarius *Cur. Post.* pag 241. Schellerus l. c. Parte II. p. 571. et *Epistolae Sodal. Socrat.* pag. 190, 400 et

et 401. Mirandum quoque est dictum *ususfructus vivendi*, quod vel sensu caret, nisi Gerundium *vivendi* sumitur pro *unde vivat*, vel *ad vitae diem*, quemadmodum legitur lib III. *Cod. Theod.* Tit. 8. leg. 3 Futurum autem *alienaturam esse*, ad Orientalium rationem, pro *eo quod fieri debet* usurpatur, ita tamen, ut Futuri notio non evanescat. Idem cum adjunctis repetitur in Novella de *Curialibus*. §. 7. Et huc referri possunt loca, quae notavit Perizonius ad Sanctii *Minervam* pag 94, 95. Praeterea formulam *serenitas nostra*, qui titulus fuit Imperatorum, ut monet Gothof. ad lib. II. *Cod. Theod* Tit 9 leg 2. et formulae *mansuetudo nostra*, de qua vidimus ad Novellam de *Defensor. civit.* satis convenit. Unum dictis addi debet, postrema *quae tum se* praecedentibus minus commode subjungi, eam scribendum fuisset *atque haec revera* etc. vel quid simile. Jam ex his verbis apparet, viduae nondum quadragenariae proleque carenti ad nuptias repetendas quinquennium statui, at, si intra hujus temporis spatium non iterum viro nupserit, legem imponi dimidii bonorum, quae maritus ei reliquerit, vel consanguineis, vel fisco tradendi. Quod non solum repugnat superstitioni illius aetatis, nuptias secundas vehementer

improbanti, sed etiam decreto Theodosii magni lib. III. *Cod.* Tit. 8. leg. 2. ubi hujusmodi viduae omnium bonorum sibi relictorum dominium tribuitur.

Illarum — promittat. Viduis prole carentibus opponuntur quae matres sunt, et liberorum suorum causa nuptiarum repetitionem spernunt. Has igitur Majorianus bonorum partitione, qua tenentur illae, absolvit, sententiam sic dicere incipiens: *Illarum vero ratio diversa est.* Similiter *Cod. Theod.* lib. III. Tit. 8. l. 6. *Viduae autem ratio diversa est.* Et ipse Cicero *Orat. Philipp.* V cap. 18. de C. Caesare ait: *Ejus autem filii longissime diversa ratio.* Quod notamus, ne quis dictum minus latinum censeat. Quomodo autem verba *nubendi, si hoc maluerint, libertate suscepta*, id est, accepta, et *ex matrimonio priore*, cum toto oratione cohaereant, disputari potest. Hoc quidem dubio caret, structuram eorum ingenti vitio laborare; sed quaestio est, utrum matri tantum iterum nubenti, an ei etiam, quae nupta manet, proprietas lucrorum nuptialium adimatur. Illud Ritterus voluit ad h. l hoc placuit Cujacio in *Expos. Novell.* II. Justiniani. Et litem dirimere difficile est. Veruntamen, si dicam quod sentio, e Cujacii par-

partibus stare malo, quam Ritteri. Nam hoc loco de matribus secundas nuptias tam respuentibus quam aggredientibus agi, ex nexu, qui inter verba supra excitata et cetera intercedit, apparere videtur. Deinde hanc mentem auctori, nisi fallor, tribuere jubet *Novella* Severi *de abrogatis capitibus injustis legis D.* Majoriani, ubi haec legimus: *Illud tantum ex eadem lege retinentes, quod veterum legum commendat auctoritas: scilicet, ut post viri obitum sponsalia in usumfructum tantum mater habeat, et a filiis alienare non possit, sive in alias nuptias venerit, sive non venerit.* Quibus verbis duo doceri puto: alterum a Severo Novellam Majoriani acceptam esse de proprietate lucrorum sponsalium utrique viduarum generi negande; alterum successoris auctoritate munitum esse, quod antecessor statuisset, atque ita illum, non, ut Ritterus ait, ab hoc dissensisse, sed cum eo consensisse: ut uterque Novellam Theodosii *de paternis seu maternis bonis* corrigeret. Qua cum in Novella tradatur; *Praeteritas Constitutiones praecepisse mulieri, ut post mortem mariti, donationem ante nuptias factam liberis communibus servaret*, satis perspicue elucet, quid Severus voluit scribendo *quod veterum legum commendat auctoritas.*

 Di-

Disputationi de re nonnihil addamus de verbis. Voces *affectuosam* et *sponsalitia* nullius numeri sunt: quamquam haec, et alibi, et in *Cod.* Justiniani lib. V. Tit. 1: *de sponsalibus et arrhis sponsalitiis et proxeneticis* l. 5. plus semel occurrit, illa vel a Macrobio usurpata est, cum *Saturn.* lib. II. cap. 11 scriberet de Grasso *gloriatus est censor, piam affectuosamque rem fecisse se jactitans.* Cf. Cellarius *Antibarb.* p. 5. Idem valet de *fidejussoris* appellatione ad denotandum sponsorem, qui alieno nomine obligatur. Cf. Brisson. h. v. Et *corpora* dicuntur *opes* vel *facultates*, quemadmodum lib. VIII. *Cod. Theod.* Tit. 16. leg. 5, ubi interpretandi causa adscriptum est *agri, domus, mancipia, quaecunque mobilia.* Praeterea nihil molestiam lectori creabit nisi forte dictum *conditio superius enarratae definitionis*, sed significat illud *legem* vel *obligationem*, *quae superiore sententia proposita est*, Cf. Facciolat. h. v. du Cange Tom. II pag. 935 et Schellerus Part. I. p. 385, 386.

Optionem — tempore nuptiarum. Hae duae sententiae *ἀντίθεσιν* quandam continent, cum inaequabilitatem in liberis a matre donandis altera concedat, altera vetet. Conceditur, ut in liberos cum maxime dilectos ex bonis maternis plura conferan-

rantur, quam in ceteros. Vetatur ille favor, *largitatis sponsalitiae*, id est, bonorum paternorum ratione habita. Quamobrem si librorum quaedam mihi succurreret auctoritas pro *illud sane latus* substituere vellem *illud tamen latus*, et novae paragraphi notam, in editione Cl. Hugonis positam, sequenti sententiae praemitterem. Quidquid est, valde incommodum esse repetitionem particulae *sane*, nemo non videt. Ceterum nec de re nec de verbis multum notare opus est. Quod in editione vulgari exstat: *filio in gremio indulgentiae suae posito* Cl. Hugo mutavit in *filios* — — *positos*, uti Amad. ex *Ottob.* et jam conjecit Ritterus. Quos ego quidem secutus sum, sed timidius tamen, quia locutio *in gremio indulgentiae positum esse* secundum rei naturam et experientiae testimonium, uni magis convenit, quam duobus aut pluribus; et sequens quoque sententia unum inducit filium ceteris praelatum. Nec longe quaesitum sit, verbis *filio in gremio indulgentiae suae posito* vim Ablativi absoluti tribuere, et Pronomen *eum* intelligere. Illud autem *in gremio indulgentiae positum*, pro *maxime dilectum et carum*, ignorant scriptores Latini, nec simile usquam inveni. *Latus* vero de *parte* recte explicant Brisson. et Facciol., ut *latus Dualis*

Con-

Constitutionis sit *pars legis*, quae reperitur in *Cod. Theod.* lib III. Tit. 8. l. 2. et in *Novell.* Theodos. *de paternis seu maternis bonis.* Cf. Ritterus ad h. l.

Si vero — vindicetur. Missa orationis structura minus latina, hoc in loco non est, quo moremur; dummodo verba *quas sine dubio — anteferri* sic explicuerimus, *quas omnino probare oportet eum, quem hac agendi ratione mater filiis suis praetulit* vel *praetulisse deprehenditur.* Futurum enim *probaturus est* aeque ac supra *alienaturam esse* de eo dicitur, quod oportet, haud exclusa tamen Futuri notione. Verbum autem *videtur* locum tenet verbi substantivi *est*, vel potius vim illam passivam habet, ut explicandum sit *deprehenditur*, quemadmodum paulo inferius *scribere videantur* scriptum est pro *deprehendantur.* Cff. Duarenus *Anniverss. disput.* lib. II. cap. 11. et Dukerus l. c. p. 330. Et haec interpretatio multis adhibenda est locis, in quibus Ciceronem verbo *videri* abusum esse monent Quinctilianus *Instit. Orat.* lib. X. cap. 2. et auctor *Dialogi de causis corrupt. Eloq.* cap. 23.

Et quia — procreentur. Multum ambiguitatis ex negligenti verborum compositione exortae haec habet sententia. Jam in principio *et quia* non

non patimur haerebimus, nisi observemus, *filios* hic de uno sexu dici masculino et a filiabus distingui: tum vero ante participium *procreatis* reticeri vocabula *et quibus* vel similia. Duobus igitur, quae praescribenda censet, Majorianus ita praefatur, se quidem, ut prolis masculinae incrementum ad nominis Romani illustrationem valde exoptet, sic ejus quoque commodis inservire et consulere velle, quo minus juribus sibi debitis fraudetur. Sequitur nunc praescriptum de aequalitate dotium sponsi et sponsae, in quo redundare et orationis adeo cursum impedire videntur verba *utrumque et sponsalitia largitate.* In primis autem difficultatem mihi peperit Adjectivum *minorem*, utpote dubiae interpretationis. Verumtamen Imperator, nisi fallor, sponsae, ut mas et femina pari sponsaliorum conditione junguntur, officium imponit dotis haud inferioris, quam illa a sponso exigat, ad nuptias afferendi. Cui alterum accedit monitum, hoc sibi volens, nae matrimonium veri nominis inire, nec liberos legitimos procreare, sed infamiae notam sibi contrahere qui sine dote copulentur. Hoc autem praecedenti adjungitur per Ablativum absolutum, priscis quidem Latinis in tali oratione haud usitatum, sed in legibus Imperatorum valde tritum. Vide *God. Theod.* lib. IV. Tit. 14. lib. IX. Tit.

Tit. 24. l. 1 alibi. Cf. van Bynkershoek *Observat. Jur. Rom.* Tom. II. p. 417. Ceterum hic locus usui esse potest in quaestione, an parentes liberis dotem dare debuerint. Cf. etiam Schultingius l. l. Tom. IV. p. 212.

Sane quoniam — compulsus est. Et hic in sententia orationi plus una macula adhaeret. Quis enim veterum *obviandum*, quod Majoriano familiare est, pro *occurrendum* dixit, nisi ad pauca provocaveris loca, quae valde controversa sunt? Cff. Cellarius *Antibarb.* p. 72 et *Cur. Post.* p. 225. Dukerus l. c. p. 393 et van Bynkershoek l. c. p. 369, 370. Quis umquam *infirmato colore contractus* scripsit pro *stipulatione, cui contractus color affingitur*? Alibi tamen legimus *colorata imago*, nempe lib. II. *Cod. Theod.* Tit. 24. l. 1. *Solemnitatem* et alia jam supra me reprehendere memini. Et *refundere* dicitur pro *dare* vel potius *reddere*: uti et *generorum* pro *generorum futurorum* vel *desponsatorum*. Cf. van Bynkershoek l. c. Tom. I. p. 26 et *opera minora* p. 49. His vero similibusque auctori condonatis, perspicuitatis laudem meretur sententiae Protasis *sane-acquisita*, cujus sensus huc redit: coercendam esse avaritiam parentum, qui ipsi aut per alios generis futuris, ante nuptiarum pactionem, mul-

ta-

ta fraudulenter abradant, quibus aut postea filiis donent, aut suam augeant possessionem. Quod, vide, quam egregie statutum de filiabus non sine dote collocandis sequatur! Sed minus plana est Apodosis, cujus prima jam vox *unde* haud temere offensioni fuit Cl. Hugoni. Nec dubitamus fere, quin recte conjecerit, scribendum esse *inde* pro *unde* · nisi quis forte maluerit *nunc* scribere, quod quodammodo respondet voci sequenti *posthac*, id est, *post hunc diem*. Deinde negotium facessunt verba *sui Juris postea gener*, quae minus bene cohaerent, sed scripta esse videntur pro *postea*, *cum gener sit*, *suo jure* · ut carere possimus correctione *sub jure*, quae in *Mss. Ott.* legitur. Quid autem eo *callido frivoloque commento*, quid *tali colori* et *imagine contractus* sibi voluerit auctor, neutiquam ex praecedentibus, ut oportuerat, intelligimus, quoniam ibi neque *commenti*, neque *contractus* ulla mentio fit; sed conjectura augurari debemus ex rei, quae agitur, natura et indole. Quam si consideramus, Majorianum *commenti* vocabulo *fraudem occultam*, de qua supra locutus est, respexisse censemus; quemadmodum in Novella de *Indulgentiis Reliquorum* §. 5, nisi editio vulgaris corrigenda sit, *commenta* et *fraudes* permutavit.

Mentem autem ejus sic exponimus. Hanc fraudem effectu destituere volentes, genero ita tractato potestatem damus, omnia, ad quorum alienationem interposito contractus nomine impulsus est, in posterum, vel ad se reducendi, vel sine metu causae suae in jure reposcendi.

Inter cetera — ministri. Repressa parentum avaritia, Imperator artes memorat eorum, qui testamentis captandis aliena sibi venantur. Hos igitur ait hominum variorum, etiam sibi fere incognitorum, quorum aegrotatio judicium perturbavit, animos adeo corrumpere, ut alii immemores liberorum aliorumque, qui sanguine secum conjuncti sunt, bona sua in eos testando conferant. Nam in dictione *extraneos scribere videantur heredes*, verbum *videantur*, ut supra monui, redundat, vel sumendum est pro *deprehendantur*. Deinde vox *heredes*, ut sequens docet sententia, notionem hic habet, qua pateat latissime, atque eos quoque comprehendit, qui *legato* et *fideicommisso* fruuntur, qua de notione vide praeter alios Matthaei *Analecta Veteris aevi*. Tom. II. p. 268. *Corporum aegritudo* dictum est minus latinum. Veteres enim *aegritudine* significarunt *morbum animi*. Sed post Augusti tempora vox sensim ad corporis infirmitatem translata est. Cf. Cellarius *Anti-barb.*

barb. pag. 145 et 146. et *Cur. Post.* pag. 159 et 160. *Necessitudines* quod attinet, apud scriptores latinos ita non solum dicuntur *amici*, sed etiam *sanguine conjuncti*. Sic Suetonius de Tiberio in vita ejus cap. 50. *Odium adversus necessitudines in Druso primum fratre detexit.* Tacit. *Hist.* lib. II. cap. 80. *Plerique* (Provinciales) *necessitudinibus et propinquitatibus* (cum milite) *mixti*. Adde dictum *Cod. Theod.* lib. IV. Tit. 4. leg. 2. ubi legislator *necessitudines suas* vocat *uxorem et liberos* Cf. Gothof. ad h. l. Atque de his Majorianum nunc locutum esse apparet ex verbis infra scriptis, *qui nulla testatori propinquitate etc.* Sed videamus, quomodo secundum Novellam captatores illi alieni boni agant, ut propositum assequantur? Nimirum primum ipsi aegrotos adeunt, eorumque lectibus assidentes, animi tristitiam simulant. Deinde munuscula iis mittunt; quorum tamquam laqueis irretiantur. Denique medicos subornant, qui neglecto medendi officio, avaritiae eorum ministrent aegrotis persuadendo, ut eos bonorum suorum faciant heredes. Quae tria ubi saeva agit indomita census cupido, gravis jam est causa cum Juvenali Sat. XIV. vs. 181, 182. rogandi.

11 * Quae

. . . . *Quae reverentia legum?*
Quis metus aut pudor est unquam properantis avari?

Et haec animadvertens cum Cicerone fere satius fore dixeris, si omni ex vita simulatio dissimulatioque tolleretur; quod tamen nimium esse, recte monuit Grotius de *Jure Belli et Pacis* lib. III. cap. 1. §. 7.

Quibus omnibus — improbitas. Opportune Imperator artibus fraudibusque supra expositis occurrit, et ita quidem, ut tertiam partem bonorum relictorum, quae extraneus heres testatoris voluntate nanciscitur, in aerarium publicum conferre jubeat. Oratione utitur auctor, quae mentem ejus lectoribus antiqui juris peritis satis perspicue explicat. Vellem tamen voci *legatum* praeposuisset particulam *aut* et pro *quatenus* scripsisset *quo*, cujus pronominis loco eum Particulam *quatenus* usurpasse, apparet etiam ex Novella de *adulteris*, ubi legimus: *quatenus tutam genialis* (genitalis?) *tori praestemus castitatem.* Distinctione autem duplicis hominum generis, quam continent verba *qui nulla — successio*, confirmatur illud, quod supra de *propinquis* disputavi. Cf. *Paratitlon Cod. Theod.* lib. V. Tit. 1. Addatur omnino Taciti *Germania* cap. 20. Forte quis rogaverit, cur Majorianus de *rebus atque corporibus*

bus loquatur. Sed pro more suo, nisi fallor, sibi placens illa in orationis ubertate, duas adhibet voces ad unam bonorum rationem enunciandam: ut *corpora* hic eodem modo sumenda sint ac loco supra a me exposito. Qui enim alterum ab altero distinguit, vereor admodum, ne in loquendi peccet usum, hujus Imperatoris tempore tritum.

Quae — proficiat. Haec peroratio secundum vulgarem editionem intelligi non poterat, sed rectissime Cl. Hugo, praeeunte jam Rittero, ex *Mss. Ottob.* pro *mentis* scripsit *commentis*, quam vocem auctor pro imperitia sui temporis, aeque ac supra, cum *fraude* permutavit. Minus certa est utriusque viri docti conjectura, *voto* pro *votum* substituentium. Nec tamen sensus inde magnopere pendet. Nam si vulgatum *votum omnium* retinetur, hoc breviter scriptum habebitur pro *quod votum omnium est*, et commate, tam a sequentibus, quam a praecedentibus sejungetur. Multo magis miror, quod hic contenditur de *religiosarum mentium fraudibus impiisque commentis*. Hoc enim, cum vix aliter explicari possit, quam de *fraudibus et commentis*, quas mentes religiosae struunt, se ipsum evertere videtur. Nam cave, credas, *religiosum* vel de *superstitioso* dici, vel *de eo*, *qui*

qui religionem falsissime simulat. Ad alterum enim probandum excitari tantum possunt verba antiqui carminis apud Gellium l. l. lib. IV. cap. 9 *Religentem esse oportet, religiosum nefas* · cum cetera loca, quae Lexicographi attulerunt, hominem significent religionis vere studiosum. Alterum et omni caret auctoritate, nisi huc referre velis dictum Salviani de *Gubern. Dei* lib. V. quod laudat Du Cange Tom. V. pag. 1300. *Multi etiam religiosi, imo sub specie religionis vitiis secularibus mancipati;* at loco certe non convenit, ubi Adjectivum *religiosarum* Substantivo *mentium* praeponitur. Praeterea utrique interpretationi illud quoque obstat, quod hac in Novella auctor *religiosum* ubique dicit de eo, quod laudabile est. Quae cum ita sint, nihil nobis restare videtur, quam ut pro *religiosarum* corrigamus *irreligiosarum*: quae correctio ut lenis est, ita postrema sylla. ba voci praecedentis *remotis* errorem facile parere potuit. Quid? quod ipse Majorianus paulo superius scripsit *irreligioso commento.* Sed haec hactenus. Rem quod attinet, Imperator hanc Novellam inde a VII. Calend. Novemb., quo die scripta est, vim legis habere jubet, omnesque sibi assensuros esse sperat, quippe id agenti, ut amoveantur fraudes et com-

commenta impiorum hominum et, in civitatem reducendis pietate et justitia, morum emendatio et salus publica proficiant. Oratione autem conversa ad Basilium Praefectum Praetorio, qui usitato, sed minus latino *illustris et praecelsae magnificentiae* titulo appellatur, curam ei mendat hujus legis in vulgus emittendae, quo munere Praefectos illo tempore functos esse aliunde novimus. Cff. *Cod. Theod.* lib. I. Tit. 6. et lib. VI. Tit. 7. ibique notata a viris doctis.

THE-

T H E S E S.

I.

Pater non cogitur dotem dare filiae emancipatae.

II.

Dominus fundo, cujus ususfructus alii legatus est, servitutem, quae fructuarii conditionem non deteriorem facit, imponere potest, etiamsi ille non consentiat.

III.

Praetores non solum Urbanos, sed etiam Peregrinos edicta proposuisse credimus.

IV.

Uni ex heredibus imponi non potest solutio debiti, a testatore contracti, nisi ille hoc in testamento scripserit.

V.

V.

Primam partem art. 214. C. C. ita intelligendam putamus, ut ad leges suasorias referatur, nullus enim est marito cogendi modus.

VI.

Non assentimur Cl. Proudhonio contendenti, liberos absentis, si concurrant cum thiis, non succedere avo suo.

VII.

Non explicandus videtur art. 323. C. P. nisi ex superioribus 321, 322.

VIII.

Tantopere inter se differunt Europae Populi; ut alii aliam sibi postulent reginimis formam.

IX.

Imprudenter homines morem receperunt cadavera in aedibus sacris sepeliendi.

X.

Temere *Romani* Veteres a nonnullis hoc nomine laudantur, quod Sacra peregrina in civitate tolerarunt.

XI.

Non exigua causa interitus Reipublicae Romanae in eo posita esse videtur, quod haud raro iidem viri per plures annos consules fuerunt.

XII.

Religionem Christianam Jurisprudentiae studio non nocuisse, sed profuisse statuimus.

XIII.

Doctrina Jesu et Apostolorum non metienda est placitis, quae vulgo homines Christiani Majoriani tempore secuti sunt.

91

93 95

1. 50

at.